TRACTATVS

DE POTESTATE PRINCIPIS SECVLARIS.

Ad l. Princeps ff. de legibus.

AVCTORE.

FRANCISCO TOPIO
Politiano I. V. Doctore.



FLORENTIÆ APVD IVNTAS.
Superiorum permissu. MDCVII.

Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium Terræ. Sapien. 6.

Patet omnibus Veritas, nondum est occupata: qui ante nos fuerunt non domini, sed duces sunt: multum ex illa etiam futuris relictum est. Sene. Epist. 33.



ILL.^{MO} ET REVER.^{MO} D. ROBERTO VBALDINO

Sanctissimi D N. PAVLI Papæ Quinti Magistro Cubiculi Præfecto.

Franciscus Topius I. V. D. Politianus. S. D.



VM veteris obseruantiæ in te meæ maximum pignus apud te habeas, ex me natum; nolui, vt hic partus ingenij alium, quàm fausta fortuna filio dederit, patronum sortiretur. Liber ipse, vt qui de Potestate Principis Secularis est, argumento non improbo, nec satis exagitato, tua nobilitate, doctrina, iudicio, litteris, dignus est. Vtinam tractationis genus non sit tale, quod tuo conspectu indignum, honorificum parum mihi iudicetur. Equidem nec labori, nec diligentiæ, nec sumptui peperci. Multos iam annos hoc saxum voluo: multa collegi: legi plura, vt, quod negabant ingenij vires, pertinaci labore consequerer. Quid profecerim aliorum, & tuum præcipue sit iudicium. Si quid sane boni, si quid eximij attulero; repertum doctis-

ſimo, & nobiliſsimo viro munus idoneum gaudebo. Sin eſt aliter; liber hic tamen a te pro tuo merito non reiectus, erit apud mortales teſtimonium ſempiternum tuæ incredibilis comitatis. Vale.

AD LECTOREM PRAEFATIO.



VM superioribus annis eas lucubrationes, quas iuuenis in l. Princeps. ff. de legib. elaboraueram, in lucem ediderim, multis doctissimis, & eloquentissimis viris approbatas, attestantibus humano generi fore perutiles; statui omnibus meis viribus enitendum esse, vt ex ijs exquisitius tamen, & perfectius, grauissimisque alijs quæstionibus absolutum opus ad communem omnium vtilitatem afferrem. Quare multo labore, & quam diligentissime potui, hũc Tractatum de Potestate Principis secularis confeci. Enimuero semper sum admiratus nobilissime Lector, quamobrẽ permulti Iuris tum Cæsarei, tum Pontificij interpretes Principis potestatem tam late patere affirmauerint; vt non solùm dixerint; Quod Principi lubet licet, certe non sine magno Reipublicæ detrimento, & interitu; verum etiam: Princeps omnia quæ supra ius, & contra ius sunt, efficere potest; cui nec resisti, nec cur ita facis? potest dici: nec vlterius de eius factis dubitari; ad ius quidem hoc etiam trahentes, super quo Princeps potestatem nullam habet. Mouentur potissime, quia, vt ipsi inquiunt: Princeps legibus solutus est l. Princeps. ff. de legib. Igitur si quo modo possem hæc studia iuuare, & tam pulchrum laborem Reipublicæ præstare, quotidie magis tentandum duxi. Idque libentius facio, quoniam istbac Principis materia, reliquis omnibus altior, frequentior, & vtilior, vt est; ita incultior, maleque digesta & elaborata a nostris relicta est, etiam ab ijs qui hanc notam iure & merito alijs inurere visi fuerunt. Neque in vitium mihi vertas rogo, si sæpe plura ex Aristotele in medium adduxerim, quæ tamen non sine legibus, Iurisperitorumque auctoritatibus comprobata inuenies: quandoquidem ciuilia iura ex principijs Philosophiæ examinanda sunt. Vnde Cicero de legib. 1. non a Prætoris edicto, neque a duodecim Tabulis, sed penitus ex intima Philosophia hauriendam censet Iuris disciplinam. Immo verò litigiosa, inquit, Legum ratio, igno-

ratio iuris potius est, quàm scientiam. Et in Tusculanis Disputationibus: Tu legum inuentrix (loquitur enim de Philosophia) tu magistra morum, ac disciplinæ fuisti. Et Iurisconsultus in l. 1. ff. de Iust. & Iur. Veram inquit philosophiam, non simulatam affectamus, cum alijs de quibus per Tiraq. in Tract. de Nobilit. egregie quidem cap. 31. num. 315. & docet Ant. Galles. in Opusc. Ad Card. S. Angeli, & Sot. in proœm. de Iust. & Iur. vbi iura ciuilia ex media morum philosophia prodiisse ille quoque affirmat, & in lib. 1. q. 1. art. 3. inquit, quòd explanatio verborum Iurisconsulti morali philosopho incumbit. id quod constanter asseuerat Salomo. in repetit. d. l. 1. num. 3. & Bal. ibidem in §. huius studij in 6. not. dicit, quòd philosophia moralis legum mater est & ianua. Inde Philosophorum dicta, & præsertim eorum qui leguntur in scholis, vt Aristoteles, probant l. si pater. ff. de solut. cuius dicta tanquam fontem intellectus ius ciuile sequitur, vt dixit Bal. in l. fin. col. pen. C. de fideicommiss. libert. & in c. cum omnes num. 70. de constitut. vbi auctoritatem moralis philosophi pro lege seruari, & in causis allegari affirmat. Sic Platonis auctoritas allegatur l. 2. ff. de nundin. Id quod tamen intelligendum est, prout declarat Pau. de Cast. in l. 1. num. 7. ff. si cer. pet. & Dec. in c. cum causam num. 21. & 22. de probat. Et rationem assignare videtur Quintilianus in lib. 12. cap. 2. inquit enim: Magis horum principiorum æqui scilicet iusti, veri, boni, & his contrapositorum Philosophi in possessione esse videntur. Et re vera partes Philosophiæ sibi mutuo opem ferunt: & Leges nihil aliud sunt, nisi præcepta Iustitiæ, & fœtus Prudentiæ: Iustitia autem & Prudentia in lib. de Moribus explicantur. Rogo etiam, ne vitio mihi vertas, quòd multa ex alienis auctoribus desumpserim, quæ cum sint nostris incognita, ab illis vtique petenda sint, non multiplicis doctrinæ ostentandæ gratia, vel temere & nulla de causa, sed quæ proposita rei apte cohereant, lucemque illi aliquam afferre possint, quod non modo improbandum, sed summopere commendandum semper censui. video enim, hanc legum disciplinam cum reliquis studijs commercij plurimum habere; ita vt ex eis multa passim desumi possint, quæ legitimis etiam quæstionibus ad veritatem facilius obtinendam momenti non parum habeant. Inde Ciceronis auctoritas allegatur l. Cicero. ff. de pœnis, & l. litus ff. de verb. sig. Hippocratis l. septimo mense. ff. de statu hom. Homeri. l. 1. ff. de contrahen. emp-

pti.

pti. Virgilij l. in tantum. §. fin. ff. de rer. diuis. Quod quidem etiam nobis suaderi posse videtur ex definitione Iurisprudentiæ, quam tradit Vlpianus in l. Iustitia ff. de Iust. & Iur. quando inquit: Iuris prudentia est diuinarum, atque humanarum rerum notitia; iusti, atque iniusti scientia, cum annot. per Salom. inibi in fine. Et Chrysippus, quem refert Martianus Iurisconsultus, ita in libro, quem de Legibus composuit, scriptum reliquit: Lex tam diuinarum, quàm humanarum rerum omnium regina est. Et Aristoteles in lib. 5. Ethic. cap. 1. dixit, quòd Iustitia in se virtutes continet omnes. Sed de hoc tu videbis eruditissimum, & eloquentissimum Albert. Bolognet. in lib. de Lege, Iure, & Aequit. cap. 8. Vnde vir auctoritate grauis, & admodum doctus Franciscus Connan. in Comment. Iur. Ciu. lib. 3. cap. 1. in prin. dixit, non solum Philosophiam, verùm etiam Theologiã Iurisperitis maxime profuturam: Et Ant. Galles. acri ingenij, & multæ lectionis vir in Opusc. cui titulus: Præparatio in Iur. Ciu. Instit. cap. Iam quod attinet, in Iurisperitis scientiarum omnium peritiam magnopère laudat. Id quod late comprobat doctissimus, & eloquentissimus D. Ranaldus Ridol. præceptor meus in Opusc. de Ratione scribendi libros Iuris ciuilis, quòd legitur in prin. lib. 1. Com. opin. Franc. Viuij. Denique cum Prudentia, & Ciuilis scientia res eadem habitusque vnus sit, vt docet Arist. in 6. Mora. cap. 8 sequitur, quòd ad ciuilis scientiæ constitutionem prædicta omnia conspirent, vt late ostendit doctissimus Franciscus Piccol. in Introduct. vniuersæ Philosophiæ Moralis cap. 10. & in specie in Gradu 9. cap. 35. vbi Historias quoque ciuili philosopho valde vtilis esse affirmat. Nunc autem accedat D. Hieronymus, vndecunq; eruditissimus, Epist. 75. ita inquiens: Quia operis mei est & studij, multos legere, vt ex plurimis diuersos flores carpam; non tam probaturus omnia, quàm quæ bona sunt electurus, assumo multos in manu mea, vt à multis multa cognoscam secundum illud quod scriptum est: Omnia legentes, quæ bona sunt retinentes. præclare autem epist. 84. vbi videndum est. Et Lucretij extat præceptum.

Floriferis vt Apes in saltibus omnia libant;
Omnia nos itidem sectabimur aurea dicta.

Fateri igitur oportet, si verum amamus, quòd cum isthæc Principis materia præsertim ardua sit, subtili disputatione digna est, & a solis Iurisconsultorum traditionibus minime pendens; verùm

rùm Theologorum, & Philosophorum sublimitate, & quæ Historiarum commemoratione quoque fit illustrior. Quod enim liquido constare non potest, argumentis subtiliter cognoscendum est l.non omnes §. a barbaris.ff.de re milit. Hoc totū quàm arduum in ardua ista materia mihi fuerit, frustra dixerim apud non expertum. Spero autem, crescet occulto velut arbor æuo, vt Horatii verbis.1.Carm. vtar. Tu velim optime Lector si quid erit in hoc tractatu, quod ad Dei gloriam, communemque hominum vtilitatem tibi vsui esse poßit, eo vtare, & soli Deo bonorum omnium auctori gratias agas: si quid verò inter legendum occurrerit, aut parum æquabile, aut minus eleganter dictum, illud ingenioli mei tenuitati adscribas.



DE POTESTATE PRINCIPIS SECVLARIS.

TRACTATVS

Ad l. Princeps. ff. de legibus.

Auctore

FRANCISCO TOPIO POLITIANO.

Lex xxxj. Vlpianus lib. xiij. ad legem Iuliam, & Papiam.

Princeps legibus solutus est: Augusta autem licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipse habet.

SVMMARIVM.



1 *Conclusio inest in suis principiis potestate.*
2 *Scientia legalis per causam procedit.*
3 *Lex non scitur, nisi eius causa sciatur.*
4 *Prima principia sunt tanquam fores, in quibus nemo debet errare.*
5 *Modicus error in principio, maximus fit in fine.*
6 *Finis infertur ex principio valido.*
7 *Principijs cognitis, ad omnia inferre poteris.*
8 *Scire tunc arbitramur, dum principia prima cognoscimus vsque ad elementa.*

9 *Quæ malo inchoata sunt principio, vix est, vt bono exitu peragantur.*

10 *Principium cuiusque rei, potissima pars est.*



IN primis considerandū est, quòd contextus verborū istius legis conclusio quædam est. † Conclusio autē in principijs inest potestate; ita vt dū principia cognoscimus, conclusionē potestate cognoscamus. quoniā autem ex eo quod potestate est, fieri potest ens actu, ideo ex principiorum præcognitione potest perfecta scientia conclusionis acquiri, vt docet Arist. 1. Post. cap. 1. Hinc bellissime Bar. in proœm. Inst. sub num. 8. dixit: † Scias quòd hæc scientia per causam procedit, cum sit vera philosophia l. 1. ff. de Iust. & iur. † vnde lex non scitur, addit, nisi eius causa sciatur. l. ad legere. §. quamuis. ff. de iur. pat. & l. scire leges. ff. de legib. & Bal. in d. l. 1. col. 1. inquit: Qui vult scire quid rei, oportet nosse principia, in quibus nemo debet errare: & quod volens scire principiata, debet noscere principia: † sunt enim prima principia tanquā fores, in quibus nemo debet errare: † quia modicus error in principio, maximus fit in fine. † & finis infertur ex principio valido, vt dixit idem Bal. in l. cum & minores col. vlt. C. si aduers. vendit. & idem dixit in rub. ff. de orig. iur. in fine, & in l. non omnium. ff. de legib. refert Neuiza. in cons. 17. in prin. & exornat late in Silua Nuptia. lib. 1. num. 199. & dignus est qui videatur Fort. Garzi. in l. 1. num. 35. ff. de Iust. & iur. qui in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de lib. & posthu. num 307. dixit; † Principijs cognitis, ad omnia recte inferre poteris. Et Cagnol. in proœm. ff. num. 1. ex Aristot. 1. Physic. inquit: † Tunc arbitramur scire vnamquamque rem, dum principia prima cognoscimus vsque ad elementa. Et Iustinianus Imp. in Authen. Quom. opor. Epis. in prin. Bene, inquit, & competenter vniuersa geruntur, si principium decens fiat, & amabile Deo. † Quæ autem malo inchoata sunt principio vix est, vt bono exitu peragantur, can. principatus. 1. q. 1. Neque prætereundus est Polybius, alijs prætermissis, lib. 1. Histor. in prin. inquit enim: Nam principio quidem ignoto, vel per Iouem subobscuro, neque ea quæ sequuntur persuadere, aut facere fidem possunt; quòd si verò opinio de principio vera sit, tunc omnis quoque consequens

fermo facile auditorum auribus satisfacit: Propterea Cicero ad rem nostram proprie accedendo in 3. de legib. ita nos monet: Bene prouisa, & diligenter explorata principia ponantur: Et Sophocles, quem refert Plutarchus in Opusc. Vt oport. Adolescent. audi. poem.

Initia sit bona cuique das negocio,
Talem rei speres licebit exitum.

Proinde Caius, & Pōponius facturi legū interpretationē, auctores repetunt ab incunabulis Romanæ ciuitatis: quandoquidem qui principium ignorat, is rem non recte perci-
10 pit; † cuius potissima pars principium est l. 1. & 2. ff. de orig. iur. & late Oldra. in cons. 200. in prin. Et Vlpianus explicaturus locos suspecti criminis, ita inquit in l. 1. ff. de susp. tuto. Primum tractemus vnde descendit suspecti crimen, & paulò infra: Sciendum est, suspecti crimen ex lege xij. Tabularum descendere, hoc est, agnosci per legem puniri: nesciremus enim crimen esse, nisi lex diceret.

SVMMARIVM.

1 *Lex Regia fuit causa, propter quam Princeps legibus solutus fuit.*
2 *Legem Regiam tulit Lucius Flaccus Interrex de Sylla Dictatore perpetuo.*
3 *Legem ferre, est auctorem legis esse.*
4 *Legem ferebat Consul, Prætor, Dictator, Interrex, & Tribunus plebis.*
5 *Lege Regia Princeps etiam legibus soluebatur.*
6 *Legis Regiæ fragmentum extat in Capitolio.*
7 *Lex Regia renouata est in C. Iulio, & post eum in cæteris Imperatoribus.*
8 *Princeps dictio in bacl. Princeps Imperatorem designat.*
9 *Principis nomen Tyranno non conuenit, sed illi tantùm qui iuste dominatur.*
10 *Dictatores & Imperatores Romani non erant supremi Principes.*
11 *Principes, qui lege Regia legibus soluebantur, limitatam potestatem habebant: quamuis Doctores contrarium communiter sentiant.*
12 *Princeps quis, & vnde dicatur.*

A 2 Legi-

13 *Legibus solutus, hoc est, qui legibus minime tenetur.*
14 *Legibus solutus quis esse potest & tamen subditus remanere.*
15 *Princeps an legibus subijciatur.*
16 *Essentiæ sunt diuinæ, sunt enim quædam participationes possibiles diuinæ essentiæ.*
17 *Lex quoad existentiam pendet a legislatore: non quoad essentiam.*
18 *Lex quòd obliget est participatio quædam legis æternæ.*
19 *M. Antonius Natta laudatur.*
20 *Augusti exemplum memorabile.*
21 *Princeps, qui legibus subijcitur, vere liber est.*

§. PRIMVS.

PRincipia igitur legis nostræ inuenire oportet, si verã, & non simulatã illius scientiã tenere velimus. † Principium autem siue causa, propter quã Princeps legibus solutus fuit, Regia lex esse videtur; † quã Lucius Flaccus Interrex tulit de Sylla Dictatore perpetuo; qua ei sũmam, & plane regiam omnium rerum potestatem in Ciuitatem permisit. nam cum C. Marius *Marij* septies Cos. F. Consul Præneste per Q. Lucretium, Cn. Papirius Carbo eius collega per Cn. Pompeium Syllanos duces, occisi essent, eoque modo Resp. ad Interregem redisset; Lucius Flaccus, Interrex proditus, tulit legem, vt quæcunque Sylla egisset, rata essent, vtque ei omnia licerent. De hac lege Cic. 1. de Legibus: Iam verò stultissimum illud existimare, omnia iusta esse, quæ sita sint in populorum institutis & legibus: etiam ne si quæ tyrannorum leges? si triginta illi Athenienses delectarentur legibus, num idcirco hæ leges iustæ haberentur? nihilo credo magis illa, quam Interrex noster tulit, vt Dictator quem vellet ciuium, indicta causa, impune posset occidere. Idem tertia in Rullum: Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam Lucius Flaccus Interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunque ille fecisset, rata essent. nam cum cæteris in ciuitatibus, tyrannis institutis, leges omnes extinguantur, hic Reip. tyrannum constituit. Et Appianus de Bello Ciuili lib. 1. Lucius Valerius Flaccus, Interrex a Senatu proditus, destituta Consulibus ciuitate, Carbone, & Mario interfectis, tulit legem, vt

 Sylla

Sylla perpetuus Dictator crearetur: & quæcunque is gessisset, rata essent: vnde cum Populus Romanus vidisset, se nihil amplius secundum leges decernere posse, nullumque in Rep. sibi relictum esse locum; vt qui arbitratur, rem amplius ad se non pertinere, Syllam Dictatorem & Principem, qui pleno iure regnaret, creauit; & ita sub Rege fuit. Cuius rei gestæ nullam mentionem fecisse Tiraq. oportunum & oculatissimum de Iur. Primogen. q. 17. opin. 4. num. 25. mirum videtur. Accedat Tranquil. in Vita C. Iul. Cæs. vbi sic ait: Constitutaque ad arbitrium Repub. Syllæ. Plane hoc est, quod Recentiores repetentes, & Cagnol. in l. 2. num. 184. ff. de orig. iur. ita inquiunt: Quòd autem scribit Iurisconsultus, siuè Tribonianus, vt aliis placet, necesse fuisse per vnum consuli, quasi Senatus omnes prouincias regere non potuisset, non est simpliciter accipiendum, nihil enim Senatui in prouincijs regundis vel industriæ, vel temporis defuisset, si principes viri in officio remansissent; sed dissimulanda est ea Iurisconsulti conniuentia, qui veritatem historiæ temperando, principem sub quo vixit, offendere noluit: Res enim publica Romana in Principes non vltrò, sed vi, & bellis redacta est: & cum nulla esset libertatis spes, Populus Romanus, iam iugum seruitutis ferre assuetus, lege Regia omnem potestatem in Principes transfudit, vt quod necesse erat pati, Legis Regiæ titulo contegeretur. etsi dicti Recentiores, & Cagnolus hoc in primis de Iulio Cæsare, & Octauiano Aug. qui post Syllam calliditate & astutia, atque vi rerum potiti sunt, nón bene affirmare videantur, quoniam Legis Regiæ, quam Lucius Flaccus Interrex tulit notitiam minimè habue-
3 runt; quæ quidem ab auctore ipsius dicta est: † quippe quòd legem ferre, est auctorem legis esse; Cicero post reditum:
4 Legem Tribunus plebis tulit, vt auspicijs &c. † Et quia ferebantur leges a magistratibus maioribus quatuor, vno minore, a maioribus Prætore, & Consule, qui ordinarij magistratus erant: Item a Dictatore, & Interrege; qui maiores quidem ordinarij, tamen magistratus non erant, neque populi comitijs creabantur; Censor autem, etsi erat inter maiores magistratus, ius tamen ferendæ legis, aut habendorum comitiorum non habebat: minor magistratus, qui leges ferret, Tribunus plebis erat, vt post alios tradit Paul. Manut. in lib. de Legib. Rom. Non autem Regia dicta fuit, quòd ad Popu-

lum

lum ius creandi Regis pertineret, cum & Augusti tempore non de Rege (nomen enim istud maximo erat odio apud Romanos) sed de vno Principe constituendo ageretur, vt animaduertit Didac. Couar. lib. 1. Pract. quæst. cap. 1. nu. 3. † Eadem autem lege Regia Princeps etiam legibus soluebatur, vt notat Salomonius hic, & Muret. in l. 1. de cōstit. princ. 5
Id enim indicat lex lata de Imperio Vespasiani, † quæ adhuc 6
prope tota extat in Capitolio, è Basilica Lateranensi translata ex ære, vt nouissime testatur Fuluius Vrsinus in Notis ad Leges, & Senatusconf. quæ in veteribus cum lapidib. ærisque, tum sculprorum monu. reper. in qua ita scriptum est: V T I-Q V E Q V I B V S L E G I B V S P L E B E I V E S C I T I S S C R I P T V M F V I T N E D I V V S A V G. T I B E-R I V S V E I V L I V S C A E S A R A V G. G E R M A-N I C V S T E N E R E N T V R I I S L E G I B V S P L E-B E I Q V E S C I T I S I M P. C A E S A R V E S P A-S I A N V S S O L V T V S S I T. † Hæc autem lex reno- 7
uata est in C. Iulio Cæsare, cum Dictator perpetuus creatus est. Interfecto Cæsare, cum lege Antonia Dictaturæ nomen è Rep. in perpetuum sublatum esset, Augustus, & post eum ceteri, non quidem Dictatores, sed quod idem re & effectu erat, Imperatores perpetui creati sunt. l. vnic. ff. de offic. Præfec. Præt. Eis autem, vt primùm creati erant, eadem illa lex renouabatur, sed id postea fieri desitum est, cum etiam sine eo possent: & omnis Senatus, ac Populi auctoritas prorsus extincta esset, vt not. Muret. in d. l. 1. quidquid dixerint nouissime Senenses in annot. in hanc l. Princeps, & quidem etiā contra verba ipsius textus, quando inquit: Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipse habet. Eadem lex appellatur lex Imperij in l. ex imperfecto. C. de testa. & descripta est per Salomo. in l. 7. de Principatu. Non ignoro quamplures Iurisperitos affirmare, Populi auctoritatem lege Regia in Octauianum primò translatam fuisse: inter quos videre est Paul. Castrens in l. non ambigitur. ff. de legib. Cagnol. & Recentiores Repetent. in l. 2. ff. de orig. iur. Alcia. in l. bona ciuitatis ff. de verb. sig. Didac. Couar. in lib. 1. Pract. quæst. cap. 1. num. 3. & Restaur. Castal. de Imperat. q. 4. num. 1. Alij autem arbitrati sunt, huic principium Iulium Cæsarem extitisse; in quorum numero est Aeneas Syluius olim Pius secundus Pont. Max. in lib. de Ortu, & Auctorit. sacri Rom. Impe-

Imperij cap. 5. Vent. Caec. in d. l. 2. §. nouissime. ff. de orig. iur. & Mynsing. in §. sed quod Principi Instit. de iur. nat. quoniam, vt dictum est, notitiam dictae legis, quam tulit Lucius Flaccus Interrex, minime habuerunt. Nonnulli verò inquiunt, Regiam legem idcirco dictam, quòd ius Regis creandi, lege lata, Romulus Rex Populo Romano concesserit, prout existimat Corras. in lib. 6. Miscellan. cap. 8. & Ant. Augustinus in lib. de legib. & Senatusconf. cap. de lege Regia, ac etiam Paulus Manut. in lib. de legib. Rom. vbi affirmat, Regiam legem latam esse ineunte regnum Romulo, alio tamen modo; inquit enim: Sed ante omnia Romulus videtur, ne quis vnquã suas leges, aut facta posset infirmare, legem illam, quam Regiam Vlpianus vocat, de suo Imperio tulisse, cum populus ab eo rogatus, omne suum ei, & in eum imperium omnemque potestatem contulit. Idem tradiderunt Recentiores vltramontani in comment. in Institut. de iur. nat. §. sed quod Principi, et post eos Cuiac. in §. Ius naturale Instit. eo. tit. Inquiunt enim: De lege Regia de vnius imperio lata, ineunte regnum Romulo, qua populus omnem ei potestatem in se concesit, cognosce ex nostro Indice, vbi nos primi omnium legẽ a tam multis diligentissimis viris quaesitam ex Liuij lib. 34. & Romanis antiquitatibus in lucem emimus. Verùm non bene ex Liuio id expresserunt, quando in personam Lucij Valerij Tribuni plebis pro Lege Oppia de Matronarum cultu abroganda concionatus inquit: Ex vtro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? an vetus Regia Lex simul cum ipsa Vrbe nata? aut quod secundum est, a decem viris ad condenda iura creatis, in xij. tabulis scripta? Regia namque Lex, cuius meminit Liuius, illa certe esse videtur, quam inter leges a Romulo sancitas primùm descripsit Dionysius Halicarnas. lib. 2. hoc modo: Erat autem talis lex, mulierem nuptam, quae per sacras leges viro coniuncta esset, pecuniarum omniũ, sacrorumque esse sociam; quam quidem Lucius Valerius adduxerat contra M. Catonem pro abroganda Lege Oppia. quod videtur etiam annotasse Tiraq. in tract. Cessan. cau. par. 1. num. 44. Plane Regiam Legem non esse illam, quam Corras. Manut. Vltramont. & Cuiac. a Romulo latam esse dicũt, vel ex hoc vno cognosci potest, quando praedicta monumenta minime extarent; nempe ex ipso Legis Regiae fragmento, & l. 2. §. nouissime. ff. de orig. iur. & minus a recto tramite Vltramon-

tramontani aberrasse viderentur, si Regiam Legem apud Platonem in Minoe siue de Lege potius seinuenisse dixissent. inquit enim Socrates: Quamobrem in constitutionibus de iustis, atque iniustis, deque Ciuitatis ordine, & gubernandi ratione tractantibus quodcumque rectum est, Regia Lex existit: non rectum verò, nequaquam Lex Regia, quia scientia deest, esse videretur; quippe cum illegitimum sit. Quam quidem Regiam Legem, superni Regis imitatricem appellant Orpheus, & ipsemet Plato, prout Marsilius Ficin. in argumento ibidem notat. & de qua plura quæ prædictis consonant; non tamen de origine siue de auctore ipsius legis scripta reliquit Decian. in Tract. Crimin. in 1. tom. lib. 2. cap. 25, quem post hæc a nobis scripta vidimus.

Princeps autem † dictio in hac l. Princeps, Romanorū Principē, seu Imperatorem designat per antonomasiam, vt probatur ex tex. in §. sed quod Principi Instit. de iur. nat. & tradit Pet. Antibo. in tract. de Munerib. §. amodo vers. Tenetur, & est versus: Princeps, Augusta, Iudex aut officialis; quem ponit Accurs. in §. contra autem in ver. Alienare Instit. Quib. alien. lic. & tex. in Nouel. tit. xv. Quom. lic. Imperat. Idipsum datur nobis intelligi ex tex. eiusdem. l. Princeps, iuncta l. 1 ff. de constit. Princ. & tradit Corneus iuribus prædictis adductus in cons. 1. num. 12. lib. 3. & ante eos Bal. in proœm. ff. nu. 2. vbi multis modis dictionem, Princeps, exponit; de quo meminit licet corrupte Curt. Seni. in cons. 73. in fine. † Neque nomen istud, Princeps, Tyranno conuenit, verùm illi tantùm qui iuste dominatur, glo. in ver. Regum in Clemen. de Baptis. † Iste autem Princeps siue Dictator vel Imperator non erat vere supremus & absolutus Princeps (licet re & effectu talis existeret) id quod exemplo Augusti Imperatoris datur nobis intelligi, qui vt auctor est Dion. lib. 56. cum Liuiæ eius vxori donare vellet plus quàm Lex Voconia permittebat, ad hoc vt firmior esset eius donatio, petijt a Senatu, vt ipse legibus eum solueret, cum multo ante ex publico decreto legibus solutus fuisset; sed hoc ideo fecit, quia non erat Princeps supremus. Id quod indicare videtur fragmentum dictæ legis Regiæ; † in quo Principis potestatem potius limitatam, quàm absolutam legimus: & quòd Princeps non soluebatur omnino omnibus legibus, vt etiam Recentiores Repeten. & Salomo, & Muret. rectè quidem hic, & alibi notant,

8 9 10 11

tant,

tant,& Ant. August. in lib. de legib. in fine, licet contrarium
12 receptius esse dicat. † Quis autem, & vnde dicatur Princeps habetur late in clemen. vni. de Baptis. vbi Abbas, & apud Ti-
13 raq. de Iur. Primogeni. in præfat. num. 36. † Legibus autem solutum esse, Vlpianus accipit pro eo quod est, legibus non
14 teneri, vt notat hic Budæus. † Et potest quis solutus esse legibus, & tamen subditus illi, qui eum legibus absoluit, remanere exemplum est nobis magnus Pompeius, qui, vt refert Plutarcus in eius vita, legibus omnibus per quinquennium a Populo Romano solutus fuit; verùm tamen sub imperio & absoluta illius potestate relictus est.

15 Sed † concedamus iuxta communem opinionem, Principem legibus omnibus per legem Regiam solutum fuisse, & videamus, an Princeps nihilominus legibus subijciatur (omnes enim Doctores, qui dicunt Principem legibus solutum esse, mouentur vtique ad id dicendum per hanc. l. Princeps) Et dicendum est, quòd Princeps legibus subijcitur quantum ad vim directiuam legis, non autem quãtum ad vim coactiuam eiusdem. Lex enim humana obligat ad culpam, eo quod ab æterna per naturalem deriuatur. Ex quo vis obligatoria deducitur ex illo scilicet naturali principio: Ius quod tibi non vis, alteri ne statuas. Eo igitur quod Princeps statuit legem, iure naturæ illi submittitur, vt post alios inquit Sotus in lib. 1. de Iust. & iur. q. 6. art. 7. Et quamuis nemo a se ipso cogatur, dirigitur tamen a se ipso, & obligatur, vt inquit Caiet. post D. Thom. in 1. 2. q. 96. art. 5. & tradit doctissimus Ioan. Monachus in extrauag. vnic. de dolo & contu. in glo. magna. Id quod ita declaratur: Omnis vera lex est coactiua, seu obligatoria. Id verò probatur ex ipsa natura legis; est enim Lex regula quædam humanarum actionum, a Deo immediate vel mediate constituta: deuiare autem a regula, peccare est. Vnde Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 9. Lex, inquit, est sermo ab aliqua prudentia ac mente profectus, vim habens cogendi. Itaque essentia legis in hoc posita est, vt liget, & cogat; ita vt sit peccatum aliter agere, vt inquit Card. Bellar. in lib. 4. de Sum. Pontifice cap. 16. & 21. vbi sic habet: Omnis iusta lex, siue a Deo sit, siue ab homine detur, ab æterna Dei lege deriuatur. Est enim æterna lex; vt malum sit violare regulam. Id verò ita confirmatur: Sicut res ceteræ, vt Theologi docẽt, quoad existentiam pendent ab agente, non quoad essentiam,

† essentiæ enim sunt diuinæ, sunt enim quædam participationes possibiles diuinæ essentiæ; ita † lex quoad existentiam pendet a Legislatore, non enim erit lex, nisi dictetur ab eo, qui habet auctoritatem: at quoad essentiam non pendet: † quòd enim lex obliget, est quid æternum & immutabile, & participatio quædam legis æternæ Dei, quæ est prima & summa regula. Quo verò ad vim coactiuam legis Princeps non subijcitur legi, quoniam coactio eiusdem ad se ipsum esse non potest: non enim est intellectu possibile, vt vim quispiam sibi ipsi inferat, atque se sua lege cogat. Quod autem sua Principem lex non cogat, non inde prouenit, quòd ipse non egeat, sed quòd lex natura sua nequeat. Lex enim eo quod regula est, facit vt deflexus ab ipsa sit culpa absque alia executione, vel legis applicatione: pœna autem adhibetur legi obseruationis causa; quæ idcirco executione & applicatione indiget. Executor autem est Princeps, cui repugnat, vt se ipsum cogat, vt egregie quidem tradit Sotus in præd. q. 6. art. 7. Quod autem Princeps teneatur seruare leges humanas, & illis subijciatur quoad vim directiuam, non autem quoad vim coactiuam, tradit etiam Didac. Couar. in comment. in Constitut. Alma Mater par. 1. §. 1. num. 4. vbi quamplures Doctores in hanc eandem sententiam adducit. Et ad hanc veritatem proprius accedant tradita infra in §. 8. num. 3. vers. Prædictis autem, † & M. Ant. Natta vir diuini, & humani iuris peritissimus, & eloquentissimus in lib. 7. de Principatu in hæc verba: Aiunt Principes, nullam legem sibi imperare, nec falluntur, si de lege hac scripta loquuntur, non est enim imperium vllum scriptæ legis in Principem, sicut nec manus iniectio. at imperat tamen illis æqui bonique ratio, quam humanis mentibus impressit Deus, cui lex scripta innititur; quæ si nulla esset, nihil fere inter hominem, pecudemque interesset. † Pro hac autem obseruatione seu subiectione, quæ legibus a Principibus reddi debet, extat memorabile Augusti exemplum, quod vt in cordibus Principum insculpatur, faxit Deus. Augustus namque legem tulerat de Adulterijs, quomodo iudicandi essent de hoc crimine delati & quomodo iudicandi conuicti; post iræ impotentia irruit in adolescentem delatum, quòd cum Iulia Augusti filia commercium habuisset, eumque verberauit. at cum adolescens exclamasset: Legem tulisti o Cæsar; adeo facti penituit Cæsarem, vt eo die se cœnaret cœ-

16 17 18 19 20

nam capere. Crimen per se graue erat, tum admissum in Cæsaris filiam, quis Princeps ibi dolori suo temperaret? aut qui sibi legem iudiciorumque moras expectaret? attamen Princeps sibi adeo displicuit, vt a se ipso pœnas sumeret, quòd legi, quam alijs prodiderat, non per omnia paruisset, vt refert Plutarchus in Apophtheg. Regum & Imp. in fine Paul. Manut. in lib. 4. Apophtheg. & Fernand. Vasq. in lib. Cōtrouers. Illustr. cap. 45. cui accedat sapiens ille Bias, is namque, sicut Rodiginus refert, interrogatus, quis nam Princeps bonus dicendus esset, respondit, ille qui legibus obtemperaret, & primus esset qui illis subderetur. Vnde Reges Aegipti, vt Diodorus Sicul. renuntiat, tunc fælices se esse existimabant, cum legibus parerent. Et laudatur Antiochus tertius Asiæ Rex, quem ferunt, datis ad singulas ciuitates suas literis, iussisse, ne sibi parerent, si quid forte præter ius & fas ediceret, vt refert idem Plutarchus vbi supra. Idem de Tiberio Imperat. affirmat Niceforus in 1. lib. Histor. cum alijs de quibus per Andrè. Gail lib. 2. Pract. Obser. 58. num. 10. cum seq.

11 † Cum autem dicimus, Principem legibus subijci, non inde enunciamus (perpende quæso) quòd Princeps vere liber non sit, immo magis eius perfecta libertas earum directione iuuatur. Homo namque tunc recte vtitur munere libertatis, dum ea prælegit, quæ legibus & voluntati Dei sunt consentanea, dum verò ita affectus est, vt vere agit quod per naturam recte formatam velle, ac præeligere debet, non enim homo ita dicitur liber, vt nulli subijciatur (ita namque solus Deus esset liber) sed liber dicitur, quia in præeligendo altero oppositorum a nullo cogitur, ex se determinatur, & suimet dominus est.

SVMMARIVM.

1 *Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoria, magistra vita, nuntia vetustatis.*

2 *Tituli, quibus homines Regna atque imperia possidere solent, plures sunt.*

3 *Cardinalis Bellarminus laudatur.*

4 *Potentia actiua est causa & principium agendi in aliud.*

5 *Potentia actiua est causa, vt exequens id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.*

6 *Potestas Principis iuris facultatem denotat, qua iurisdictionem tam voluntariam, quàm contentiosam comprehendit.*
7 *Potestas Principis non est nisi ad bonum, cognitum per intellectum, electum per voluntatem, & exequibile per ipsam potentiam.*

§. SECVNDVS.

DIximus quod Princeps Lege Regia Legibus solutus fuit, & quòd per ipsam met Legem Regiam limitatam potius, quàm absolutam Principis potestatem agnoscimus; licet secundum communem Doctorũ opinionem Princeps legibus omnibus solutus fuit: quòd que Populus Romanus non sponte, sed vi dictam potestatem in Principem transfunderit; si tamen historijs credimus. † Est enim historia, vt Cic. de Orat. inquit, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis. 1

Videamus modò quousque Principis potestas etiam absoluta se extendat. † Nec me latet, quòd Tituli, quibus homines Regna atque Imperia possidere solent, plures sunt; Ius belli legitimi, Successio hæreditaria, Electio populi, & alij quos late ponit. † Illustriss. & Reuerendiss. idemque pientissimus, & doctissimus Card. Bellarminus, qui ante purpuram vniuerso orbi christiano erat clarissimus, in lib. de Translat. Imp. Rom. cap. 7. in prin. & Late Franciscus a Victoria in priori Relect. de Indis sect. 2. dicat quidquid vult Fernand. Vasq. in lib. Quæst. Illustr. cap. 7. Neque arguendi sumus, si de potestate Principis disputare audeamus, cum Imperatori, & Sum. Pontifici a Deo potestates limitatæ sunt, ita exorditur Alex. in conf. 106. lib 2. vbi plura in hanc sententiam adducit, & pulchre Ias. qui de Sum. Pontifice verba facit in conf. 145. sub num. 3. lib. 2. & late per Craue. de Antiq. temp. par. 1. in prin. num. 38. Illud autem primũ omnium constituere oportet, si huiusmodi inuestigatio recte sit processura, quòd potentia actiua † (quæ nihil aliud est, quàm principium agendi in aliud, vt Philosophus perhibet in 5. Meta. D. Tho. in 1. par. q. 25. art. 1. Caiet. in 1. 2. q. 96. art. 5. in fine, qui proprie accedendo ad rem nostram inquit: Potestas gubernatiua est principium dirigendi aliud inquantum aliud, vt patet in 5. & 9. Meta. & per Bal. in conf. 326. num. 3. lib. 1. & Mart. 1 2 / 2 / 3 / 4

Nauar. in cap. nouit in 3. not. num. 83. de iudic. in propriis terminis definit, esse facultatem propinquam ad aliquid agẽ-
5 dum) † est causa vt exequens id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit, vt declarat D. Tho. in 1. par. q. 19. art. 4. in resp. ad quartum, & q. 25. art. 1. in resp. ad quartum, & q. 1. de Potentia Dei art. 5. & per Bal. vbi supra. Quibus praeco-
6 gnitis, ponenda est conclusio: † Potestas seu Potentia Principis, (quae vt Nauarrus tradit in praedicto loco accipitur in materia nostra pro auctoritate seu facultate iuris, comprehendente iurisdictionem tam voluntariam, quàm contentio-
7 sam) † non est, nisi ad bonum cognitum per intellectum, electum per voluntatem, & exequibile per ipsam potentiam, quod quidem tum iuribus, tum rationibus, & auctoritatibus, iuxta l. Labeo. ff. de suppell. leg. pro ingenioli mei tenuitate demonstrare, & confirmare, Deo dante, conabor.

SVMMARIVM.

1 ID possumus, quod de iure possumus.
2 Ius, est ars boni & aequi.
3 Posse peccare, non est aliquid posse.
4 Omnipotens ille solus vocatur, qui non potest peccare.
6 Princeps non intelligitur alicui voluisse facere praeiudicium.
7 In Principem translata est potestas legitima.
8 Princeps non potest facere, nisi quod iustum & bonum est.
9 Effectus quemadmodum sine causa esse non potest, ita Imperator sine iure.
10 Quod seruata honestate fieri non potest, vinculum reputatur.
11 Princeps debet viuere secundum leges, quia ex lege eius pendet auctoritas.
12 Princeps pro communi hominum vtilitate creatus est.
13 Finis humanae legis, est hominum vtilitas.
14 Finis humanae legis bonus est.

§. TERTIVS.

1 ID igitur possumus, vt disputationẽ aggrediamur, † quod
2 de iure possumus. l. nepos Proculo. ff. de verb. sig. † (ius autem est ars boni & aequi, vt Celsus inquit in l. 1. ff. de iust. & iur.) l. in eadem. ff. ex quib. cau. maio. l. non aliter. ff. de vsu

de vsu & habit. tex. pulcherrimus in l. filius. ff. de condit. institut. vbi Paulus ita inquit: Nam quæ facta lædunt pietatem, extimationem, verecundiam, & vt elegauter dixerim; quæ cōtra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credēdum est, tex. not. in can. faciat. 22. q. 2. can. Aggathosa in fine 27. q. 2. glo. in clem. sæpe in ver. poterit de vere. sig. & in can. vlt. §. caritas de pœnit. dist. 2. vbi habetur: † Posse peccare, vt Au- 3
gustinus ait, non est aliquid posse, immo aliquid non posse, † 4
vnde ille solus vocatur omnipotens, qui hoc non potest, quia omnia potest; quæ posse est aliquid posse. repetit glo. in cap. firmiter in ver. omnipotens de Sum. Trinit. & fid. catho. & Corne. egregie quidem in cons. 181. lib. v. & est glo. not. in extrauag. vnic. in glo. magna de dolo & contu. quæ ita dicit: Potentia est de genere honorum: & posse malum, non est posse, sed non posse: & Princeps iuris compendium & potestatem trahere non potest ad iniquum dispendium. l. eum qui. ff. de vsucap. pro empt. arg. l. 1. in 2. resp. ff. de offic. Procons. † 5
Inde dicimus, non aliud vult Princeps, nisi quod sua iura volunt. §. omnis Aucten. de Iudicib. l. fin. C. si cont. ius vel vtil. pub. l. ex facto vbi Ias. in 4. not. ff. de vulg. & pupil. substit. c. audita de restit. spoliat. adductum per Bal. in cons. 121. num. 2. lib. 1. † Item Princeps non intelligitur alicui voluisse 6
facere præiudicium. l. 2. §. merito, & §. si quis a Principe ff. ne quid in loco pub. c. ex tuarum de auctor. & vsu pall. & ponit Alcia. in reg. 3. præs. 11. cui addo. c. quamuis de rescrip. in 6. † Et in Principem potestas legitima translata est. l. 1. ff. de 7
constit. Princ. quam adducit Alcia in respon. 309. num. 7. † 8
His ergo iuribus probatur, quòd Princeps non potest facere, nisi quod iustum & bonum est. Quibus accedat etiam atque etiam tex. in l. digna vox. C. de legib. inquit enim Constantinus Imp. Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se profiteri: adeò de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas. & re vera maius imperio est, submittere legibus principatum. O digna vox, ô vox digna, è Cælo allata, & tanto imperatore digna. dicit enim, si recte percipiatur, & animi perturbationes illam non impediant: † Quemadmo- 9
dum effectus sine causa, ita Imperator sine iure esse non potest, prout apposite quidem Paul. Castrens. ibi. num. 3. tam eleganter, quàm vere dixit, & Cinus ibidem ait: Honos est, esse in tali ligamine, & dedecus extra: † nam quod salua ho- 10

nestate

aeftate fieri non poteft, vinculum reputatur l. in eadem.ff.ex quib.cau.maio.repetit Ang.in d.l.digna vox, & late comprobat Rip.in rub.de conftitut. num.17. Inde Bal. in compendio ipfius l.digna vox ait: † Princeps debet viuere fecundum le-
11 ges, quia ex lege eius pendet auctoritas. Adftipulatur Alex. Imp. in l. ex imperfecto.C.de tefta. vbi ita inquit: Nihil tam propriũ Imperij eft, quàm legibus viuere, ergo improprium eft, fuo arbitrio viuere, argumentatur Salomonius in lib. 6. de Principatu. In eadem fententia funt Diui Seuerus & Antoninus in §.vlt.Inftit. Quib. permiff. eft fac. tefta. vbi Theophilus ita inquit: Quam quidem vocem adeo diuinam, fæpe in ore habere oportet, Et poft eos Paulus in l. ex imperfecto ff. de leg. 3. ac etiam Vlpianus in l. Papinianus §. fi Imperator.ff.de inoffic.tefta. vbi Bal. fic inquit: Nota quod Imperator vtitur legibus in fuis caufis, & idem in Deo dixit glo.
12 Atqui fatis hoc comprobari poffe videtur: † Quippe quòd Princeps ad commune bonum, & pro communi vtilitate potens creatus eft l.2. §.nouiffime.ff.de orig. iur. ibi: Vt neceffe effet Reipublicæ, per vnum confuli, tex.in cap.1. de prohi. feu. alie. per Federic. vbi Imperator ita inquit: Quoniam imperialem decet folertiam ita Imperij curam gerere, & fubditorum commodum inueftigare, vt Imperij vtilitas incorrupta perfiftat, & fingulorum ftatus illæfus feruetur l. 3. ff. de offic. Præfec. vigil. Nam falutem Reipublicæ tueri nulli magis credidit conuenire, nec alium fufficere, inquit textus, quàm Cæfarem l.1. C. de nouo.C.fac.l.vnica.C.de Iuftinia. C. confir. & in tit. de emend. Cod.l. vnic.C.de Senatufconf. Claud. toll. & eft tex. pulcherrimus in l vnic.§.fin.C.de caduc.toll.vbi Iuftinianus Imp. ita inquit: Nec auguftum priuilegium exercemus, fed quòd communiter omnibus prodeft; hoc Reipublicæ noftræ præferendum effe cenfemus, noftrum effe fubiectorum commodum imperialiter exiftimamus. Id quod in fingulis Auctenticorum titulis repetit, præcipue verò in tit. de Quæftore, de Appellat. Vt neque miles, Vt diuinæ iuff. Vt nulli Iudic. & Vt differ. Iudic. quibus in locis hoc præclare
13 habetur. † Finis namque humanæ legis eft hominum vtilitas.l.nulla.ff.de legib.hoc eft falus eorum, morumque fuorum inftitutio, vt tranquille & feliciter viuant, & refertur in can. erit autem dift. 4. quibus concinit tex. not. in can. Apibus 7.
14 q. 1. & in cap. cum non liceat de refcri. † Finis autem prædictus

ctus bonus est & bonum in se continet, vt post alios tradit Marr. Nauar. in can. cum minister. 23. q.5. sub num. 29. Iure igitur probatur, Principem ad bonum potentem esse, & pro communi hominum vtilitate creatum fuisse.

SVMMARIVM.

1 *Regimen est opus rationis.*
2 *Potestas est ratio practica.*
3 *Potentia rationalis est indeterminata ad vnum.*
4 *Potentia naturalis est determinata ad vnum.*
5 *Potentia rationalis est contrariorum.*
6 *Contraria simul effici non poßunt.*
7 *Potentia rationalis non prodit in actum, nisi per electionem.*
8 *Electio omnem potestatem determinat ad vnum.*
9 *Electio est voluntatis.*
10 *Voluntas in pluribus est vertibilis ad malum.*
11 *Electionem bonam facit virtus & perfectio: malam verò vitium.*
12 *Voluntas etsi malum possit eligere, hoc tamen non pertinet ad eius potentiam, sed ad eius impotentiam.*
13 *Aristoteles appellauit qualitates naturales impotentias.*
14 *Voluntas est impotens, quatenus malum eligit.*
15 *Quòd voluntas possit malum eligere, non repugnat libertati arbitrij.*
16 *Velle malum non est libertas, sed quoddam libertatis signum.*
17 *Virtus est vltimum potentiæ.*
18 *Gubernatio quid sit.*
19 *In gubernatione duo sunt consideranda.*
20 *Alia ratio, qua probatur, Principem esse ad bonum publicum.*
21 *Humana Regna iure gentium constituta sunt.*
22 *Publica ciuilis potestas quomodo ordinatio Dei sit.*
23 *In regimine & principatu duo considerantur.*
24 *Quarta ratio quare Princeps creatus sit propter vtilitatem publicam.*

§. QVARTVS.

VErùm superius dictis, vt tota hæc res, de qua est a
nobis disputatio instituta, illustrior fiat, rationes
addendæ sunt. Et in primis omnium præcogni-
1 tum esse crediderim, † omnem cuiusque rationis
& ordinis gubernationem, seu regimẽ maxime pertinere ad
rationem, esseque rationis opus. hinc videmus, ita natura
comparatum esse, vt quæcunque ratione pollent, natura etiã
magis imperare, & regere. vnde hominum genus omnibus
alijs animantibus imperat, quæ ratione minime capacia exi-
stunt. inter homines verò senes regunt, ac gubernant iunio-
res: viri fœminas. sic in vnoquoque qui seruat ordinem a na-
tura institutum: ratio sensui, & anima corpori imperat, can.
est ordo 33. q. 1. late Tiraq. de legib. Connub. lib. 1. num. 47.
ac deinceps, & etiam videre est apud Arist. lib. 1. Polit. qui est
auctor locupletissimus. Cum igitur regimen sit opus ratio-
nis, vtique exploratissimum esse oportet, potestatem seu po-
tentiam appellare malueris, rationis esse, idest, qua vtimur
2 cum ratione; † quæ nimirum ratio practica est seu actiua; quę
constituto fine certo, conuenientibus fini medijs & instrumẽ-
tis, conatur, eos qui regimini illi subduntur, ad præstitutum
3 finem seu bonum perducere. † Quæ quidem potentia ratio-
nalis cùm sit indeterminata ad differentiam potentiæ natu-
4 ralis, † quæ est determinata ad vnum, vt docet Arist. 9. Meta-
5 phi. Immo cum eadem potentia † sit contrariorum: contra-
6 ria verò simul effici † non valeant; sequitur, quod non pro-
7 deat in actum, scilicet vt agat aliquid, † nisi fuerit determi-
8 nata ad vnum aliquod per electionem. Electio † igitur po-
testatem omnem rationalem determinat ad vnum aliquod
9 quodpiam quod efficit. † Electio verò est voluntatis, quę ob
10 sui imperfectionem † vt in pluribus est vertibilis ad malum,
11 ideoque & bene eligit, & male. † Bonam electionem facit vir
tus & perfectio: malam verò electionem facit vitium & im-
12 perfectio. † Neque hoc, quòd male possit eligere voluntas,
pertinet ad eius potentiam, sed ad impotẽtiam; quemadmo-
dum non est in potestate corporis, quòd queat ægrotare, sed
impotentiæ & imbecillitatis. Sic etiam non est potentia cru-
13 ris, quòd possit claudicare. † Quamobrem Aristoteles appel-

lauit huiusmodi qualitates naturales, non potentias, sed impotentias. † Igitur est impotens voluntas, quatenus malum 14
eligit, atque potest id eligere, at quamuis voce dicamus, voluntatem posse malum eligere, re tamen potest ob impotentiam. † Neque hoc propterea repugnat libertati arbitrij: 15
† nam velle malum non est libertas, nec pars libertatis, quam- 16
uis sit quoddam libertatis signum, vt inquit D. Thomas, qui hac de re rationem etiam assignat in q. de Voluntate art. 6. & ostendit D. Anselmus in Dialogo de Libero arbitrio cap. 1. Præterea addiderim ego, † Virtus est vltimum potentiæ, vt 17
inquit Arist. in 1. de Cælo tex. 116. vnde tunc actus dicitur perfectus & absolute bonus, quando ponit potentiam in suo complemento, sicut scire intellectum, & obedire faciliter rationi concupiscibilem, vt inquit D. Tho. in 3. sentent. dist. 23. art. 2. in resp. ad tertium. Tunc igitur actus voluntatis & imperij ipsius Principis dicitur bonus, quando oritur ab habitu qui ponit actum voluntatis in sua perfectione, quæ est, vt voluntas a ratione dirigatur, non autem a ratione deficiat.

Quòd autem potentia Principis sit ad bonum publicum & pro communi omnium vtilitate, hac ratione probari posse videtur: † Gubernatio nihil aliud est, quàm directio guberna- 18
tionis ad finem, qui est aliquod bonum, vt inquit D. Tho. in 1. par. q. 103. art. 1. & 2. & supra ostensum est. † In guberna- 19
tione autem duo sunt consideranda, vt in d. q. 103. art. 6. habetur, ratio scilicet gubernationis, quæ est ipsa prouidentia, & executio. Quantum igitur ad rationem gubernationis pertinet, Deus omnia immediate gubernat: quantum verò spectat ad executionem gubernationis, Deus quædam mediantibus alijs, nempe Principibus, & Rectoribus Mundi moderatur, vt late prosequitur Cassane. in Catal. glor. Mun. par. 5. considerat. 1. † Alia etiam ratione idem probatur, quam pro- 20
prie ad rem nostram adducit Sotus in lib. 4. de Iust. & iur. q. 4. art. 1. quæ talis est: Deus per naturam dedit rebus singulis facultatem se conseruandi, suisque resistendi contrariis, non modo quantum an incolumitatem temporalis salutis, verùm per eius gratiam quantum ad prosperitatem spiritualis. hanc autem homines facultatem cum exequi commode dispersi nequirent adiecit eis instinctum gregatim viuendi, vt adunati alij alijs sufficerent. congreta verò Republica neutiquam poterat se guburnare, hostesque propulsare, malefactorumque

auda-

audaciam cohibere, nisi magistratus deligeret, quibus suam tribueret facultatem. nam aliàs tota congregatio sine ordine & capite neque vnum corpus repræsentaret, neque ea prouidere posset, quæ expedirent. ergo eadem ratione doctæ Republicæ, aliæ annales Consules, aliæ alias publicarum formas sibi instituerunt. atque adeo iure quælibet potuit, ac debuit, vbi expedire cognouisset, totam potestatem & imperium in vnum Regem, qui secundum Aristotelem optimus genere suo est principatus, transferre, vt l. 1. ff. de constitut. princ. sancitur, ita Sotus, qui idem tradit in 4. sentent. distin. 20. art. 1. & pluribus sacræ scripturæ auctoritatibus comprobat, atque exornat, & eximie D. Tho. in lib. 1. de Regim. Princip. capit. 1.

21 † Nam quis omnium ignorat, humana regna iure gentium constitui, dum populi communi consensu in vnum aliquem potestatem suam transferunt? Id certe (vt cetera taceam) diserte testatur Lex hoc iure. ff. de iust. & iur. & declarat optime

22 Card. Bellar. in Controuer. 5. lib. 3. cap. 6. tom. 1. † Ecce quemadmodum publica ciuilis potestas ordinatio Dei est; non quòd Respublica non creauerit Principes, sed quòd fecerit

23 diuinitus erudita. † Præterea in Regimine & Principatu duo considerantur, vnum est finis, quem Princeps intendit, alterum potestas perducendi ad finem eos, quorum Princeps est. Finis Principis est, vt homines felices reddat: potestas autem est, qua eos ad commune bonum, Iustitia illa vniuersali, quæ omnis virtus dicitur, mediante, pertrahit, & auertit a malo.

24 † Insuper quemadmodum potentia actiua potissime competit Deo, & cum actu coincidit, vnde cum Deus vocatur a Philosophis, & Theologis actus purus, sensus est, quòd ipse est talis, cui conuenit in omnia agere, influere, perficere, & mouere, vt pòst alios tradit D. Dionysius Carthus. in pulchro eius tract. de Contemplatione lib. 1. cap. 40. Ita Principi qui vicem Dei gerit in terris, in quantum ipse habet potentiã actiuam, conuenit in alios agere, perficere, influere, & mouere, ad bonum scilicet, prout semper facit Deus. Concludendum est igitur rationibus demonstrari ad bonum, & publicam hominum vtilitatem creatum esse Principem.

SVMMARIVM.

3 *Imperator dicitur Mundi dominus quoad bonum, non quoad malum.*
4 *Plenitudo potestatis est ad bonum, & non ad malum.*
5 *Princeps non potest facere legem, quæ contineat quid in honestum, aut iniustum.*
6 *Lex est sanctio sancta, iubens honesta, prohibens contraria.*
7 *Princeps non potest mihi auferre dominium rei meæ.*
8 *Princeps habet iurisdictionem a Deo.*
9 *Sapientia cum potentia coniuncta est.*
10 *Sapientia potentiam regit: potentia vero sapientiæ fauet. Potentia Iustitiam comitatur, non præit.*
11 *Potentia aliqua dicitur esse perfecta, quando defectus potentiæ non potest.*
12 *Quæ sunt secundum legem dicimur posse agere: quæ autem sunt contra legem, dicimur non posse.*
13 *Potentia actiua quid sit.*
14 *Gn. Pompeius, Pompeij filius, potentia sua nunquam ad impotentiam vsus est.*
15 *Homo est optimum animalium, si fuerit recte institutus: pessimum autem, si fuerit malis moribus præditus.*
16 *Sæua est iniustitia, ferens arma.*
17 *Homo fert arma per innatam prudentiam.*
18 *Regimen omne omnemque Principatum ob commune bonum, publicamque hominum vtilitatem inuentum fuisse auctoritatibus late probatur.*
19 *Imperator non est proprietatis Imperij Dominus, sed potius officialis, & procurator maximus.*
20 *Princeps vtilitatem subditorum propriæ anteponere debet.*
21 *Regnum non est propter Regem, sed Rex propter Regnum.*
22 *Princeps pater omnium est, & 38.*
23 *Princeps debet tractare subditos suos tanquam filios, & nepotes.*
24 *Princeps in quo differat a Tyranno.*
25 *Tyranni peccatum grauissimum est.*
26 *Dominatus vnius, vtilitati omnium consulens, vocatur regia potestas.*
27 *Regia potestas in eo comparata est, vt in populo bonum esset*

præ-

præsidium.

28 *Principis merces, honor, & gloria.*

29 *Principatus iustitia non aliunde metitur, quàm a vera Religione, & communi vtilitate.*

Rex dicendus est, qui ciuitates, & homines fælices reddit, ibi.

Rex prodeße, & non obeße debet, ibidem.

30 *Epaminondæ dictum, memoria dignum.*

31 *Traiani memorabile dictum.*

32 *Symbolum nonnullorum Principum.*

33 *Regis nomen non dignitatis, solùm, sed officij quoque est.*

34 *Regnum est splendida seruitus.*

35 *Cæsari omnia licent, quomodo intelligendum sit.*

36 *Princeps est Tutor Reipublicæ.*

37 *Deus Principibus & Regibus nomen imposuit Protectores.*

39 *Regis est, vitam suam pro his quibus regnat opponere.*

40 *Imperium necessarium est pro pace, & iustitia conseruanda.*

41 *Principes a Deo creati sunt, non vt propria lucra quærant, sed publicam populi vtilitatem procurent.*

42 *Potestas Principium est a Republica, quæ non dedit eis potestatem ad grauandum, sed ad conseruandum.*

43 *Bonum commune potentia dicitur.*

44 *Bonum commune est bonum diuinum.*

45 *Principis simulachrum ab Aegiptijs repreſentatum.*

46 *Principis naturam amittit qui aliud agit, quàm Deus ageret in terris.*

47 *Publica ciuium vtilitas communeque bonum est, quod æquabiliter æquum est.*

§. QVINTVS.

His hactenus discussis, quæ sunt luce meridiana clariora, sequitur, vt acultoribus huius veritatis, tanquam a testibus, non vt ab assentatoribus eorumque commentitijs futilibusque sententijs veritatẽ exigamus: illorumque prestat breuibus recensere sapientissimas sententias, non historiæ magis causa, quàm vt nostra clariora, atque firmiora, explicatis illis, existant.
1 † Dicitur ergo proprie Potestas, legitime posse: non enim possumus, quod cũ iniuria possumus, nam hæc posse potentia non est, sed deficientia quædam.
2 † Et ideo Deus omnia potest, tamen pec-

care non potest, ita dixit Baldus, de potentia Imperatoris verba faciens, in cons. 326. num. 3. lib. 1. & in cons. proxime seq. ita inquit: Illud quod dicitur, † Principem esse Mundi 3
dominum, intelligitur quoad bonum, non quo ad malum; ne inde nascantur iniuriæ, vnde iura nasci oportet, contra l. meminerint. C. vnde vi. Idem in Principe arguit Fulgos. in cons. 61. col. pen. Curt. Sen. in cons. 73. num. 27. & Crauet. in cons. 233. sub num. 3. † Inest enim plenitudo potestatis in di- 4
spositione bonitatis, non autem prauitatis, vt idem Craue. inquit in tract. de Antiq. temp. par. 1. sect. 1. num. 3. ob id quando Princeps aliquis vtitur plenitudine potestatis ad malum, addit ipse, dicitur plenitudo tempestatis iuxta dictum Card. Mediol. in clem. pastoralis de re iud. quem refert Socin. in cons. 20. col. pen. lib. 3. cum alijs de quibus late per Craue. cui addo Socin. Iuni. in cons. 65. lib. 2. Marc. Mant. lib. 1. Com. Loc. 12. Fernand. Vasq. lib. 1. Controuers. Illustr. cap. 15. num. 17. vbi plures in eandem sententiam adducit. Accedat nunc Bar. in l. fin. num. 2. C. si cont. ius vel vtil. pub. vbi ita inquit:
† Princeps non potest facere vnam legem, quæ contineret vnũ 5
inhonestum, vel iniustum, est enim contra substantiam legis:
† Lex enim est sanctio sancta, iubens honesta, prohibens con- 6
traria l. 2. ff. de legib. † Eodem modo addit, si vellet auferre 7
mihi dominium rei meæ, non posset, † quia Princeps habet 8
potestatem a Deo, Auth. Quomod. opor. Epis. in prin. sed Deus non dedit ei iurisdictionem peccandi, neque auferendi alienum. Et consonat Ab. in cap. venerabilem, num. 18. de elect. & Rip. in cap. si quando in 4. not. de rescript. egregie autem Craue. in cons. 241. num. 21. Fulgos. in cons. 61. & Card. in cons. 142. late autem Ferdin. Vasq. in lib. 1. Controuers. Illustr. cap. 27. num. 1. Et demonstrat hanc veritatem Boethius in aureo opusc. de Consolat. Philos. lib. 4. prof. 2. subtilissime autem ac diuine Socrates apud Platonem in lib. Gorgias siue
de Rhetorica. Et Plato in epist. 2. ad Dionysium † cum po- 9
tentia sapientiam coniunctam esse dicit, & quòd hæc semper mutuò se persequuntur, & quærunt, & conueniunt. idemque
dixit in 4. de legib. † Sapientia namque potentiam regit, po- 10
tentia vero sapientiæ fauet, vt inquit D. August. 3. de Trinit. Et ita potentia Iustitiam comitatur, non præit. Erudimini qui iudicatis terram. Quibus omnibus obuiam prodeant veritatis propugnatores Magister Sent. locuples auctor

in lib.

in lib. 1. distin. 42. & ibi late D. Tho. D. Bonauent. & Gabr. Biel. D. Thom. in 1. par. q. 25. art. 3. in 22. q. 185. art. 3. in quæst. de Potentia Dei art. 7. & in lib. 2. cont. Gent. cap. 25. Alex. de Ales in 1. par. Sum. q. 47. memb. 3. & q. 22. memb. 2. egregiè autem D. Chrysost. in Symb. Apost. hom. 38. tom. 7. & ante alios propriè dixit D. August. cont. Epist. Gaud: Hoc possumus, quod de iure possumus. Et confert prædictis D. Thom. in q. de Potent. Dei art. 6. in conclus. vbi ex mente Arist. 5. Meta.
11 inquit, † quòd potentia aliqua dicitur esse perfecta, quando defectus potentiæ, vt est posse deficere, posse peccare, & alia
12 huiusmodi non potest: † & quòd ea, quæ sunt secundū legem, dicimur posse: quæ autem sunt contra legem, dicimur non posse, quia non bene fierent, & in 1. sent. distin. 7. q. 1. art. 1.
13 † Potentia actiua est vis quędam, per quam aliquid alteri se communicat; quod perfectionis est. Et D. Gregor. Nazian. in orat. 4. de Theologia inquit: Aliquid fieri dicitur secundum æquum, quod enim minime est æquum, nec rationi con-
14 sentaneum, dici solet, fieri non posse. † Hinc Velleius Paterclus historiæ Romanę lib. 2. Eleganter dixit: Gn. Pompeius, Gn. Pompeij filius, potentia sua nunquam ad impotentiam vsus. Neque idcirco Princeps non habet potentiam, si ipse male vtatur; immo quoniam habet, Arist. in 1. Polit. cap. 2. in-
15 quit, † hominem esse optimum animalium, si fuerit rectè institutus item esse pessimum omnium, si fuerit malis moribus
16 præditus. adfert huius rei rationem: † Sæua namque dicit
17 est iniustitia ferēs arma. homo autem fert arma † per innatam prudentiam. homo igitur cum male vtitur prudentia, est pessimum animalium; non quia careat tunc potentia illa naturali prudentiæ, quinnimo habet, & idcirco est pessimum. Sic Princeps cum male vtitur potentia, non caret prædicta potentia, immo habet, & ob eam rem populo est perniciosus, vt inquit Contare. de Potest. Pontific. in Composit. & est tex. ad hoc in cap. pen. de dolo & contu.
18 Quod autem omne regimen, omnisque Principatus ob cōmune bonum publicamque subditorum vtilitatem inuentus creatus & receptus fuerit, affirmat Bar. de Regim. Ciuit. nu. 27. in Auten. de Hæred. & Falci. in prin. num. 4. & in tract. Testimo. num. 86. Bal. in l. 2. §. nouissime. ff. de orig. iur. & in cons. 333. sub. num. 1. vers. Notandum est lib. 1. inquiens, quòd originalis intentio creationis Imperij fuit bonum

num & vtilitas Reipublicæ, non priuatæ, puta Caroli Imperatoris, & in cons. 327. num. 7. lib. 1. ita inquit: † Et quidem 19
Imperator est procurator maximus; tamen non est proprietatis Imperij dominus, sed potius officialis, & eius electa est industria. & alibi dixit: Principatus sicut Iustitia ad alium est; quem adducit Salomoni in lib. 3. de Principatu, vbi in eandem sententiam plura adducit. & late & multa cum grauitate ea de re disserit Alberic. in hac. l. Princeps. num. 8. & in .l. decernimus. C. de sacrosan. eccles. egregie autem in .l. digna vox. num. 1. & 2. C. de legib. inquit enim, † quòd Princeps 20
vtilitatem subditorum propriæ anteponere debet. idem dixit Luc. de Pen. in. l. militaribus. C. de decurionib. lib. 10. & Cagno. in Epist. de Vita & Regim. boni Principis. num. 12. Boer. de Auctorit. mag. Conci. num. 131. & subscripsit Alfons. Guerrerius in Thesa. Christ. Relig. cap. 54. num. 1. & 91. vbi num. 52. vers. item notate inquit, † quòd Regnum 21
non est propter Regem, sed Rex propter Regnum: quia Deus constituit Reges, vt recte gubernarent, & vnumquemque in suo iure conseruarent; quo quidem finis recti regiminis spectat. Id quod dixit Natta in cons. 179. num. 13. lib. 1. in hæc verba: Est ergo Principatus propter populum, non Populus propter principatum. Et Io: Gers. in tract. de orig. iur. & Leg. considerat. 13. in. 1. lib. ita inquit: Dicitur autem vnus ille bonus vel Rex vel Imperator seu Monarcha, qui non propriũ Principaliter, sed commune bonum intendit in suo Principatu. Quibus omnibus valde consonat Soci. in cons. 279. in fi. lib. 2. vbi adducens Arist. in. 1. Polit. inquit, quòd finis cuius libet dominij est, vt homines bene beateque viuant, fruanturque libertatè, tranquillitate, pace, atque amicabilitate. Et Io: de Tur. Crem. in cap. quamnis 22. distin. quem adducit Grama. in Vot. 32. num. 16. affirmat, quod Principes sunt constituti ad hoc quod bonum procurent subditis, & quòd si aliter faciunt, abutuntur Principatu. & confirmat id ipsum Duran. in Tract. de Orig. iur. inquit enim: Potestas constituitur in Republica, vt homines prouocentur ad bonum, & arceantur a malis. Inde Iustinianus Imperator vocat se Patrem in Authen. Neque virum. §. fin. coll. 8. in hæc verba: † Princeps 22
omnium pater est, & in. l si quis filium. C. de inoffic. testa. sic ait: Sed nos qui omnes subiectos nostros & filios, & nepotes habere existimamus affectione paterna, & imitatione; secundum

dum quod possibile est, omnium commodis prospicientes &c. qui quidem textus aureus est, & dignus omnino, qui in
23 cordibus Principum insculpatur; vbi Ias. in prin. notat, † quòd Dominus debet tractare subditos suos tanquam filios, & nepotes. Idem dicit Luc. de Pen. in l. qui conditioni col. 7. C. de his qui spon. mune. pub. & in l. 1. col. 2. C. de superindic. lib. 10. ac etiam in l. quicunque col. 3. & 4. C. de om. agr. deser. lib. 11. vbi dixit, quod Princeps Reipublicæ maritus est; qui propterea tenetur illam defendere, & ad illius sustentationem respicere, atque in primis de vtilitate illius cogitare; quem sequitur locuples auctor Cassane in cons. 60. num. 8. & in Catal. Glor. Mun. par. 5. considerat. 14. Et Andre. de Iser. in tit. Quæ sint Rega. in prin. num. 2. inquiens per illum tex. Si sciret Princeps, esse contra publicum vsum, non concederet, quia Princeps est pater communis. Idem tradit Afflict. in cap. 1. §. sed nec est alia num. 37. tit. quæ sit pri. cau. benefic. amit. & in cap. 2. num. 2. de Prohibi. Feu. alie. Rimi. Funi. in cons. 45. num. 37. lib. 1. Pulchre autem Bal. in cons. 460. num. 2. lib. 1. quem refert Craue. in cons. 9. num. 37. notanter autem in cons. 314. sub num. 3. inspiciendus, & in cons. 238. num. 17. & 18. tradit etiam Rolan. in cons. 91. num. 39. lib. 2. Et videndus
24 est Cacheranus in proœm. Decis. Pedem. † Quapropter Regem a Tyranno differre inquiunt Doctores, quòd ille tendit ad bonum & commodum publicum, hic autem ad priuatũ, Bar. & Boer. in præcit. locis, Guerrerius in d. cap. 54. num. 42. vers. expedit etiam Regi, Bar. in Tract. de Tyran. num. 44. Afflict. in cap. 1. §. post natale de Pace tenen. Iacob. de S. Georg. in Inuestit. Feud. vers. Princeps Pedemont. post prin. Socin. Iuni. in cons. 60. num. 25. cum seq. lib. 3. Hip. Rimi. in cons. 45. num. 37. lib. 1. Auctor fuit Arist. in 5. Ethic. cap. 10. & in 5. Polit. cap. 10. & uidendus est D. Thom. in 1. par. q. 96. art. 4. Hæc autem intelligendum est quantum ad effectum modumque regiminis; vt contingit ijs qui, quamuis veri, sint domini, non quærunt publicum
25 bonum, sed proprium. † Quod est peccatum mortale, & quidem grauissimum; vtpote contra publicum bonum: & tanto peius, quanto a pœnitentia remotius est. Regnandi siquidem amor tantus est, vt non permittat Tyrannum quo ad dominium ad pœnitentiam conuerti. Vtilis quoque bo-

ni proprij amor radicitus euelli difficillime poteſt, vt adamuſim inquit doctiſſimus Caietanus in Sum. in Verſic. Tyrannis.

Accedat modò † Ariſt. in.3, Polit. cap.5. inquit enim, quòd dominatus vnius, vtilitati omnium conſulens, regia vocatur poteſtas, & cap. 6. Finis menſque regentis eſt, vt quàm optimi quàm feliciſſimi ciues fiant, & in.5. cap. 10. † Regia poteſtas eò comparata eſt, vt in populo bonum eſſet præſidiũ: & Reges conſtituti ſunt, vt inopum multitudinem contra locupletum iniurias tueantur, & cap. 11. de Rege verba faciens; Conſtituere inquit Rempublicam, & ornare debet, tãquàm tutor ſit, non tyrannus, idemque dixit in 8. Ethic. cap. 11. nec non in. 5. cap. 7. in hæc verba: Simili modo non naturalia, ſed humana iura non eadem vbique ſunt: nam neque Reſpublica apud omnes eſt eadem, ſed vna tantùm vbique eſt ſecundum naturam, quæ optima eſt, ita Ariſtoteles; qui vnam cenſet vbique Rempublicam ſecundum naturam, quæ optima eſt, ideſt, quæ naturali ratione ad communem vtilitatem regitur, ad hunc etenim ſenſum Mich. Epheſius locum Ariſtotelis ibidem eruditiſſime interpretatur. & in eodem lib. 5. Ethic. cap. 6. locus apprime notandus, Philoſophus ita inquit: Eſt autem cuſtos conſeruatorque iuris Princeps, quòd ſi iuris, & æquabilitatis. & quoniam ſi iuſtus ſit, nihil præterea ſumit, & attribuit (neque enim ſibi plus tribuat, quàm alijs, eorumque quæ per ſe bona ſunt, niſi habita ratione dignitatis) id circo quæcunque agit, ad aliorũ commoda refert, ob eamque cauſam in bonis alienis, vt ſupra diximus, iuſtitiam numerant. danda igitur merces aliqua eſt; † quæ cum ſit honor, & gloria (quod tamen declara prout D. Tho. in lib. 1. de Regim. Princ. cap. 7.) quibus hæc non ſunt magna præmia, ij efficiuntur Tyranni. Hoc ipſum autem tradidit Plato ante omnes in lib. 1. de Repub. quando inquit: Neque vllus Traſimace in aliquo principatu & facultate imperans, quatenus Princeps eſt, quod ſibi conferat, cogitat, aut præcipit, ſed ſubiecto conducat: & quæ dicit, quæque facit, cuncta ad illius vtilitatem decoremque facit. Et in lib. de Regno: Rex bonus, inquit, & ſapiens gubernabit ſemper ita ad ſalutem reſpiciens, vt ad nautarum nauiſque ſalutem reſpicit gubernator, & paulo poſt: Ac ſummatim quidquid prudentes Principes agunt, nunquam delinquunt;

Marginal numbers: 26 (beside "Accedat modò"), 27 (beside "mi quàm feliciſſimi"), 28 (beside "qua eſt; † quæ cum ſit honor")

quunt;quandiu vnum hoc potissimum seruant, vt mente, & arte, quod vtilissimum est ciuibus inducentes, tueri eos valeant,melioresque quoad eius fieri potest,efficere,& in.5. de Repub. nuncupat Principes seruatores auxiliatoresque,quē Cic. Offic. 1. ita in medium adducit: Omnino qui Reipublicæ præsunt, duo Platonis præcepta teneant, vnum vtilitatatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum vt totum Reipublicæ corpus curent, ne cum partem aliquam tueantur, reliquas deserant:vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ
39 ad vtilitatem eorum quibus commissa est gerenda est. † Et reuera Iustitiam Principatus non aliunde metimur, quàm a vera Religione, & communi vtilitate. & hic finis optimus, propter quem Principatus est institutus,vt dilucide Socrates apud Platonem in. 1. &. 2. de Repub. subtilissime disputat. Quibus omnibus concinit Halicar. lib. 2. hoc modo: Mihi quidem videntur omnes qui & barbaras, & græcas Respublicas constituere recte sane commune bonum vidisse; qui ciuitatem omnem ex domibus multis constantem rectam ipsam & secundis ferri flatibus extimarunt; cum bene haberēt se priuatorum vitæ:multamque rursus tempestatem induci, cum male haberent se se vnicuique propria. quique oportere dixerunt, virum ciuilem, mentem habentem, siue ille legum conditor,siue Rex esset; ea legibus statuere, quæ iustas simul,& temperantes facerent priuatorum vitas. Et Xenophon in Vita Ciri lib.6. & Moralium lib. 3. inquit:Rex nullo modo dicendus est, qui res alterius quærit, atque desiderat,verùm qui ciuitates & homines felices reddit. Et in Memorab. Socrat. lib. 3. Nam Rex eligitur,ait ipse,non vt se se molliter curet,sed vt per ipsum,ij qui elegerunt,bene beateque agant. Et Cicero ad Q. Fratrē Prætorem in Asia sūmo cū imperio ita scripsit: Est autē nō modo eius qui sociis & ciuibus,sed etiā eius qui seruis, qui mutis pecudibus præsit; eorū quibus præsit cōmodis vtilitatiq; seruire. Quapropter incūbe toto animo & studio in eā rationem, qua adhuc vsus es,vt eos quos tuæ fidei potestatiq; Senatus,Populusq; Rom. cōmisit,& credidit,diligas,& omni ratione tueare,vt quā beatissimos velis. ac deinceps:In omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus,tantis de te iudicijs,tantis honoribus debeas,cogitabis:

id autem erit eiusmodi; vt consulas omnibus, vt medeare in commodis hominum, prouideas saluti, vt te parentem Asiæ & dici, & haberi velis. Et. 2. de Offic. Fruendæ Iustitiæ causa reperies olim bene moratos reges constitutos. & 5. de Repub. Moderatori Reipublicę beata ciuium vita proposita est. Et Hesiod. Theog.

Hac vna Reges olim sunt fine creati;
Dicere ius populis, iniustaque tollere facta.

Iamblichus etiam, quem refert Stobæ. in Serm. de Magistratu ita inquit: Verus Princeps magna cum dignitate & honestate præest, magnifica bonorum munera subditis exhibet, victus abundantis, salutis omnimodæ, & vitæ tranquillitatis auctor est. Hunc enim finem sibi proponit honestus Princeps, vt subditos felices efficiat. etenim sane præ ceteris qui ab eo gubernantur in primis eximius est; cum illi beatam vitam agunt, qui se ipsos ei commiserunt. siquidem vtilitas publica non separata est a priuata; quin potius in vniuersali singulis etiam vtile continetur, & partes in toto seruantur, tum in animalibus & ciuitatibus, tum in alijs quoque naturis. Et Sopatrus in Epistola, cuius meminit idem Stobæ. in serm. 44. Imperio dignus fieri debet, inquit, non Reipublicæ statu, sed virtutis & animi erga subditos excellentia. Scias igitur, te subditorum singulis præstare, communi pro omnibus cura & sollicita guberatione pro vniuersa Republica. Et Archita Pythagoricus in lib. de Lege, & Iustitia: Optimus autem, ait, erit Princeps, qui lege diuinissima vtetur, qualis futurus est, qui nihil sui gratia facit, sed omnia propter subditos. Et Agapetus de Officio Regis ad Iustinian. Imp. Monitor. 5. sic effatur: Quoniā igitur a Deo tibi donata est facultas, qua indigebat propter nos tua bona voluntas, omnia, velis, & agas, prout ei placet, qui eam tibi dedit. Seneca etiam de Natur. quæst. Oportet enim, inquit, Regem prodesse, non obesse. & de Clement. ad Neronem Ciuium, ait, non seruitutem tibi traditam, sed tutelam: Nec Rēpublicam tuam esse, sed tu Reipublicæ. Et consonat prædictis Aeneas Syluius Piccol. in lib. de Ortu, & Auctorit. Imperij Rom. cap. 2. dicit enim: Regum constituendorum causam publicam dedit vtilitas, iusti prope mater & æqui & in cap. vlt. Imperatorem sic alloquitur; Cauere debes, ne sine ratione aliquid agas, ne vel ad tuam volupta-

tem potius, quàm ad subditorum vtilitatem regas Imperiũ,
atque sic ex Rege fias Tyrannus, cum quo nulla nobis socie-
tas, nullumque debet esse commercium, sed potius summa
distinctio. Et confirmat Egid. Rom. de Regim. Princ. lib.
1. cap. 8. in 3. præcog. hoc modo: Rex in operibus suis de-
bet intendere bonum gentis & commune, quod est diuini-
us, quàm singulare. Et Filippus Rex aiebat: Oportere me-
minisse Regem, quòd homo existens, potestatem adeptus
sit diuinam; vt res honestas, & diuinas instituat: sermone au-
30 tem humano vtatur, vt refert Stobæ. Serm. 46. † Vnde cum
Epaminondam Thebanorum Imperatorem, exeuntem ad
pugnam, oraret vxor, vt se ipsum seruaret: Alijs, inquit, hoc
consulendum est, Principi autem, vt ciues seruet, vt auctor est
Plutarchus in lib. cui titulus Maxime cum Principib. Viris
Philosopho esse disputandum; Et Bias insidijs ab Iphicrate
Atheniensium Imperatore circunuentus, militibus interro-
gantibus, quid nam esset faciendũ: Quid aliud, inquit, quàm
vt vos seruemini: ego vero pugnando moriar, vt refert idem
31 Plutarchus in Aphopt. Laco. † Et Princeps optimus Traia-
nus, dum Præfectum Prætorio cingeret, dicere solitus erat,
vt auctor est Dion in Vita Traiani: Hunc ensem, si iuste im-
32 perauero, pro me, sin minus in me vtare. † Inde nonnulli
Principes, maximi Anchoræ, Delphino circumplexæ, imagi-
nem pro Symbolo habuerunt, vt Seleucus Nicanor Rex, &
Imperator Augustus Cæsar; Principes siquidem denotan-
tes, qui subditorum incolumitatem procurant. amator quip-
pe hominum est Delphin, & futurę tempestatis præmonstra
tor; in qua & Anchoram, vt figatur, dirigit, hominum salutẽ
pro sua natura procurans. Ad cuius exemplũ optimus quis-
que Princeps suos homines amare debet, in aduersis adiu-
uare, & eorum salutem curę habere, vt post alios videre est
apud Alcia. in suis Emblemat. sub dictione Princeps. Et
memini Virg. Aeneid. 6.

Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem;
Parcere subiectis, & debellare superbos.

33 † Regis etenim nomen non dignitatis solùm, sed officij
quoque est: qui enim solùm hoc nomine dignitatis importa
ri credunt, hi non Reges, sed Tyrãni sunt existimãdi. decla-
rauit hoc Antigonus Macedoniæ Rex, qui, vt refert Plutar-
chus

in Apopht. cum filium conspexisset, eos in quos habebat imperium ferocius tractantem atque insolentius; † An ignoras, inquit, fili, Regnum nostrum esse splendidam seruitutem? nihil dici potuit cordatius. nam Princeps non minus cogitur seruire populo, quàm populus Principi, nisi quòd Principi cum dignitate, alioqui re ipsa seruitus est. Et profectò si ulla est seruitus in politico principatu, magis proprie seruus dici debet qui præest, quàm qui subiectus est, vt docet D. August. lib. 19. Ciuit. cap. 14. & diuine Seneca in lib. de Consolatione ad Polybium: Vbi Magna inquit, seruitus est ex magna fortuna: ac deinceps: Cogita Cæsarem vide quantam huius in te indulgentię fidem, quantam industriam debeas; intelliges non tibi magis incuruari licere, quàm illi (si quis modo est fabulis traditus) cuius humeris Mundus innititur. Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium ipsius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit, & Syderum more, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere. Inde Frãc. Petr. in 1. lib. de Remed. vtri. Fort. dial. 96. dixit: Quo die primùm Rex fuisti, tibi moriens, alijs viuere incepisti. Et Card. Bellar. in 1. lib. de Sum. Pontifice cap. 7. Magistratus, inquit, seruit Reipublicę, & Rex populo (si Rex, non tyrannus sit) & pater filijs, & magister discipulis. Quapropter † Princeps Reipublicæ tutor rectè nuncupatur, vt Plinius secundus lib. 10. Epist. Traianum appellat in hæc verba: Diem in quem tutela generis humani felicissima successione translata est, debita religione celebrauimus, commendantes dijs auctoribus & vota tua, & gaudia. Et Seneca de Clementia lib. 1. cap. 4. Principes, inquit, Regesque & quocunque alio nomine sunt tutores status publici, & cap. 18. Ciuium non tibi tradita seruitus sed tutela, & cap. seq. Nec Respublica tua est, sed tu Reipublicæ. Tutorem etiam Reipublicæ appellat Constantinum Imperatorem Lactantius Firmianus in 1. lib. Diuin. Institut. cap. 1. & Plutarchus in præd. Opusc. Maxime cum Princ. viris Philos. esse disput. vocat Principes Dei administros ad tutandam homi- salutem. † Et Deus Principibus & Regibus nomen imposuit.

34 36 37

fuit, Protectores per Ose. 3. Dilexerunt afferre ignominiam
38 protectores eius. † Quinimo Princeps iure optimo Pater dicitur, & est. Id quod egregie scriptum reliquit Seneca in dicto lib. 1. de Clement. cap. 14. quando inquit: Hoc quod parenti etiam Principi faciendum est: quem appellauimus patrem patriæ, non adulatione vana adducti. cetera enim cognomina honori data sunt. Magnos, & Felices, & Augustos diximus, & ambitiosæ maiestati quidquid potuimus titulorum congessimus, illius hoc tribuentes; Patrem quidem patrię appellauimus, vt sciret datam sibi potestatem paternam, quæ est temperatissima, liberis consulens. Et Filię Salphaat ad Principem accedentes, ita locutę sunt, vt Philo refert de Vita Mosis lib. 3. Pater noster obijt, non seditione absumptus, vt multi alij, sed fato raptus, cum priuatam vitam ageret procul negotijs. nulla ipsius culpa factum est, quòd caruit sobole. assumus igitur pupillæ, vt videtur, re vera tamen te loco parentis habituræ: nam legitimus Princeps non minus quàm pater curat subditos. vel secundum aliam traslationem: Princeps enim legitimus subditis suis coniunctior est, quàm ille ipse qui genuit. Et in lib. de Creatione Principis sic inquit: Sunt enim Principes, vt verum fatear, publici parentes ciuitatum & genitium, quot quot boni sũt, nec cedunt pietati naturalium: contra qui in subditorum detrimentum abutuntur potentia, nequaquam Principes, sed hostes appellandi sunt. & paulo post: Est autem quædam principatus species in quouis genere, sola distans magnitudine; quod enim est in ciuitate Rex, hoc in vico Magister, in domo Dominus, inter ægrotos Medicus, Imperator inter milites, Præfectus classis inter nauales socios, inter vectores Nauclerus, inter nautas Gubernator (& sicut Deus in Mundo inquit D. Tho. in lib. 1. de Regim. Prin. cap. 2.) hi omnes prodesse possunt, & obesse: debent tamen id velle, quod est melius: præstat autem iuuare quoscunque possis pro viribus &c. Et Xenophon in Vita Cyri lib. 6. in prin. Princeps nihil, ait, differt a bono patre. Thomas etiam Campegiris in lib. de Offic. Principis in Eccle. in. 3. Offic. ita signanter dicit: Sicut Deus, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, nec regit propter se ipsum, sed propter nostram salutem; sic ad officium Principis spectat bonum subditorum principaliter intendere: qui enim propriam vtilitati populi

præfe-

præferunt, non boni Principes, sed tyranni habentur: cum Regnum imperium sit suapte natura paternum. Propterea Homerus Iouem patrem appellat, vt dixit Arist. 8. Ethic. cap. 10. & lib. 1. cap. 8. addiderim ego. Idem dixit Charonda Cathaneus in Proœmijs Legũ hoc modo: Sed & Princeps iuste subditis præesse oportet tanquã liberis suis. Quod quidem legitur in Sopatri Epistola, cum inquit: Quos autẽ prius non cognoscebas, & nihil ad te pertinere putabas amplius quàm quiuis homo communem hominum naturam; illos iam Princeps factus vereri debes ceu iam natos & familiares: ac omnes tibi amicos esse videns; paterna beneuolentia complecti. Homero certe non satis fuit, Principem simpliciter subditorum patrem appellasse, quamuis haud aliud nomen inter homines benignius inueniri posset, sed ad Patris vocabulum adiunxit quoque mansuetum simul & Parentibus, & bonis Principibus huiusmodi nomenclaturã conuenire ratus. hæc ille. Et cecinit bellissime Claudianus ad Honorium Imperatorem.

Tu ciuem, patremque geras: tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moueant, sed publica vota.

Et Horatius ad Augustum Cæsarem lib. 1. Carm. Od. 2.

Hic ames dici Pater, atque Princeps. Et Od. 12.
Gentis humanæ Pater, atque Custos.

Et Virgilius. 9. Aeneid.

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt.
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo;
Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Accolet: Imperiumque Pater Romanus habebit.

Meruit autem hoc cognomen Pater patriæ primus Cicero, deinde factum omnibus Imperatoribus promiscuum, vt ait Tacit. lib. 11. Et Patrem patriæ appellat se Iustinianus Imp. in proœ. Institut. in fine. Vnde Agasicles Rex Lacedemoniorum ad eum qui rogarat, quomodo quis absque satellitibus tuto regnare posset: Si suis, inquit, populis ita imperitant, vt parentes filijs. refert Plutarchus in Apophteg. Laco.

Obuiam nunc prodeant Sancti Patres atque Theologi. Diuus namque Augustinus in serm. 1. de Parasceue ita dixit: † Opus enim Regis est, vitam suam pro his quibus regnat opponere. Cui consonat diuus Chrisostomus in Homil. 38

mil. de Cruce, & latr. Imperatorum est, inquiens, pro omnibus mori: & Regis optimi pro communi vtilitate nunquã recusare supplicium. Eximie autem diuus Bernardus de Considerat. ad Eugenium lib. 3. inquit enim: Praes, & singulariter. at quid? Eget, tibi dico, consideratione; numquid vt de subiectis crescas? nequaquam, sed vt ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi; alioquin quo pacto reputas te superiorem ijs a quibus beneficium mendicas? Audi Dominum: Qui potestatem habent super eos benefici vocantur. at istud de ijs qui foris sunt, quid ad nos? tu id mendaciter diceris, si non tam beneficus, quàm beneficijs præesse intendas. Parui deiectique animi est, de subditis nõ profectum quærere subditorum, sed quæstum propriũ. hucusque D. Bernardus. Nunc obuiam fiat Theologorũ princeps D. Dyonisius Areopagita in lib. Cælestis Hierarchiæ cap. 8. Non enim, inquit, ad insolentiam, violentiam, aut oppressionem exercet cælestis illa spirituum potestas vires suas, sicut Tyrãni facere solent, opprimentes subiectos sibi, sed ad suæ sortis munera exequenda, & insuperabili constantia pulcherrimo quodam ordine sursum tendunt ad diuina: atque inferiores substantias cælestes per indultorum sibi bonorum benignam distributionem ad Deum promouent; in quo diuinam ordinatissime bonitatem imitantur; sua bona alijs effuse largientem. Et D. Thomas de Regim.
40 Princ. lib. 3. cap. 5. † Consonum, inquit, videtur naturæ, vt Imperium concessum sit pro pace, ac Iustitia conseruanda, iurgijs ac discordijs resecandis. item ad hoc videtur prouisum vt mali puniantur, & boni promoueantur, & hoc est officium Dominorum. Et in Opusc. ad Ducissam Braban-
41 tiæ: † Principes terrarum sunt a Deo instituti, non quidem vt propria lucra quærant, sed publicam populi vtilitatem procurent. Vnde Franciscus a Victoria in Relect. 4. de Po-
42 test. Papæ, & Concilij in 17. proposit. inquit: † Potestas Principum est a Republica; quæ non dedit eis potestatem ad grauandum subditos, sed ad conseruandum. & idem repetit in Relect. 6. de Iure Belli in 3. proposit. Excellenter autem idem D. Thomas in præd. lib. 3. cap. 5. vbi ita inquit: Concluditur autem ex hoc, quòd qualibet res quanto ordinatur ad excellentiorem finem, tanto plus participat de actione diuina. huiusmodi autem est Regnum cuiuscunque

E con-

conditionis, quia cum intendat nobilissimum finem, vt Philosophus tangit in Ethic, & in 1. Polit. in ipso diuina præintelligitur actio, & suæ virtuti Dominorum subiicitur regimen. † Et hinc fortè trahit originem veritatis, quòd bonum cōmune dicitur potentia a Philosopho in Ethic. (qua 43
de re videbis omnino eundem D. Thomam in. 1. par. q. 96. art. 4.) Et cap. 4. præsertim verò cap. 11. eadem fere verba, aurea quidem facit: Amplius autem, inquiens, Regnum ex hominibus constituitur, sicut domus ex parietibus, & corpus humanum ex membris, vt Philosophus dicit in. 3. Polit. finis ergo Regis est, vt regimen prosperetur, vt homines cōseruentur per Regem. & hinc habet commune bonum cuiuslibet Principatus participationem diuinæ bonitatis. vnde bonum commune dicitur a Philosopho in. 1. Etich. esse, quod omnia appetunt: † Et esse bonum diuinum vt sicut 44
Deus, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium; non regit, & gubernat nos propter ipsum, sed propter nostram salutem; ita & Reges faciant, & alij Dominatores in Orbe. Inde Medina. 1. 2. D. Thomæ q. 90. art. 2. dixit, quod sicut potentiæ naturales de sua natura institutæ sunt, vt tueantur bonum totius suppositi, sic potestas publica instituta est, vt bonum commune procuret, & detrimentum Reipublicæ caueat. † Nunc autem ad conclusionem accedat Principis simulachrum, quod quidem ita representabant Aegiptij; vt oculum pingerent cum sceptro; indicantes, quod 45
oculus in corpore, id verus Princeps esset in Republica, quod sol in cælo, id Princeps in populo. Sol oculus mundi, Princeps oculus multitudinis. quod animus in homine, id Princeps in ciuitate; animus sapit, corpus obtemperat. Denique Dei moderantis vniuersa salutaris Princeps. viuam imaginem refert. ponit Andre. Gail de Pace Pub. lib. 1. cap. 3, num. 10. Et est celebris Plutarchi sentenzia in libello, qui, Ad Principem ineruditum, inscribitur: Iustitia finis legis est: Lex autem officium Principis. at Princeps imago Dei est, omnia recte constituentis, & disponentis. Quibus omnibus pro coronide addo ego, Quòd Princeps Vicarius cum sit Dei: nec quidquam sit Vicarius, nisi vicem gerens alterius; † Ille Principis naturam amittit, qui aliud 46
agit, quàm Deus ageret in terris. Et in summa quòd Principatus vtilitatem ciuium & subditorum intueatur, est cōmunis

munis, frequentissimaque Legistarum, Philosophorum, & Sanctorum, ac Doctorum sentententia, prout recte quidem
47 ita attestatur Fernand. Vasq. lib. 1. Controuers. Illustr. cap. 1. num. 10. † Quæ quidem publica ciuium subditorumque vtilitas communeque bonum, est aliud nihil secundũ Arist. 8. Polit. cap. 8. in fine, nisi quòd æquabiliter rectum est.

SVMMARIVM.

1 *Princeps de plenitudine potestatis potest mihi auferre dominium rei meæ, etiam nulla subsistente causa. Sed in contrarium num. 2. ac deinceps.*

2 *Potestatis absolutæ, & ordinariæ distinctio in humanis Principibus male a Doctoribus constituta secũdum Didac. Couar. & Pinel. Sed quod immo recte facta fuerit, late ostẽditur in. §. 8.*

3 *Fortunius Garzias laudatur.*

4 *Princepes in bonis Vniuersitatis dominium vel proprietatem prætendere minime potest.*

5 *Lex vel rescriptum, continens vt mihi Iustitia denegetur, & si habet clausulam derogatoriam, non tenet, tanquam contra ius naturale.*

6 *Princeps non potest tollere a subditis per indirectum: sed hoc declaratur.*

7 *Princeps non potest quempiam priuare dominio rei suæ, etiã si ille de cuius iure agitur esset infidelis, vel iudæus.*

8 *Princeps auferendo ius quæsitum sine iusta causa, appellatur Tyrannus.*

9 *Plenitudo potestatis non extenditur ad aliquod iniquum.*

10 *Princeps nõ potest auferre ius alteri quæsitum de iure ciuili.*

11 *Princeps quamuis habeat iurisdictionem generalem, non tamen priuatorum dominium habet.*

12 *Respublica, res Populi est, non Principis.*

13 *Domini nomen, proprie acceptum, non conuenit nisi Deo.*

14 *Reges & Principes non proprie Domini sunt, sed ministri Dei, & dispensatores Reipublicæ, & num. 18.*

15 *Domini titulus omnibus maior.*

16 *Dominus verus duas habet conditiones, quę nullę creaturæ conueniunt.*

17 *Rex dicitur a regendo & consulendo: non a regnando, & dominando.*

18 Reges minime dicti sunt primi iusti, sed Pastores pecorum.
19 Potentia eius est, cuius est actus.
20 Dominij actus non est Principis.
21 Potestas transferendi dominium est rationis naturalis.
22 Princeps de iure diuino non est dominus substantię populi, vel subditorum.
23 Verbum, Auferet, denotat per vim tollere.
24 Casus speciales in quibus Princeps ex iusta causa potest aliquem dominio rei suæ priuare.

§. SEXTVS.

RES hæc tota est clarissima. Nunc videamus, quonam pacto ob ignoratas veræ doctrinæ radices in diuersos quosdam errores nonnulli Iurisperiti & quidem coryphei inciderunt. Angelus namque in l. si verberatum §. 1. num. 1. ff. de rei vendic. dixit, † quod Princeps de plenitudine potestatis potest auferre mihi dominium rei meæ, etiam nulla suadente causa; quem refert, & sequitur Dec. post alios quos adducit in cap. vlt. num. 31. de confir. vtil. vel inut. & refert, ac damnat Crauet. in consf. 241. num. 2. Igitur Princeps, nulla rationis necessitate constrictus, poterit aduersus rationis dictamen absoluta potestate vti, vt inquit Didac. Couar. 2. in lib. 3. Variar. Resolut. cap. 6. num. 8. † Qui propterea censuit, distinctionem potestatis ordinariæ, & absolutæ in humanis Principibus male a Doctoribus constitutam fuisse; quem sequitur late Pinel. in l. 2. in 1. par. Rubr. num. 24. & seq. C. de rescin. vendit. & Ferdin. Mendocæ in lib. 1. Disput. Iur. Ciu. cap. 5. num. 35. Quæ quidem res vti fons & seminarium genuit falsas opiniones, erroresque maximos, & offensiones graues ex grauibus morbis propter culpam quę a Doctoribus fuit commissa. Quis enim errore ab vno non discet omnes, dum Angel. in d. l. si verberatum inquit: Princeps de plenitudine potestatis potest mihi auferre dominium rei meæ, etiam nulla subsistente causa, & non contentus adiicit: Et qui contrarium dicunt mentiuntur. & idem voluit in l. 3. §. si is pro quo. ff. quod quisq. iur. quem (proh pudor, auium more, vt in simili inquit Dec. in consf. 481. nume. 12. & in consf. 499. num. 12. & amplificat Cagnolus videndus in l. 2. num.

num.144.ff.de orig. iur.) sequitur Socin. in cons.83. lib. 3. Andre. Sicul. in cons. 64. col. pen. lib. 4. Dec. in cons. 191. num.4. in cons.198.num.2. in cons. 269. num. 11. & in cap. quæ in ecclesiarum num. 103. de constitut. Et ante omnes Iacob. Butrig. dixit, quòd Princeps potest mihi auferre dominium rei meæ sine aliqua causa, quem refert, & reprobat Bart. in l. fin. C. si cont. ius vel vtil. pub. id quod velle visus est etiam Specul. in tit. de Lega. §. nunc ostendendum est nume. 50. & Bal. in l. Barbarius in 5. col. vers. venio ad secundum in 2. lect. ff. de offic. Prҿt. Alex. in cons. 1. nume. 12. lib. 2. & alij plures quos cumulat Fernand. Vasq. in lib. 1. Cõtrouers. Illustr. cap. 5. num. 15. quorum fundamentis respondet Hippol. Rimi. in cons. 45. nume. 60. vsque ad nume. 88. lib. 1.

3 Proinde verò † contra Angelum pro hac veritate stat excellentis ingenij vir, si ex vngue leonem agnoscere licet. Fort. Garzi. in l. Gallus §. & quid si tantum, num. 290. 309. & 310. ff. de lib. & posthum. & Craue. in cons. 241. num. 12. inquiens, quòd Angelus, qui contrariæ sententiæ fuit antesignanus, non vt Angelus, sed vt homo, & mendax locutus est, & contra eum est communis opinio. & Postillator ad Dec. in cons. 269. affirmat, illud Angeli dictum esse falsum, & adulatorium. Et arroganter locutum fuisse Angelum. asseuerat Ias. in d. l. Barbarius in 3. col. vers. tertiodecimo. quibus concinit Cagno. in proxm. ff. nume. 9. & Craue. in cons. 238. num. 11. vbi inquit, quòd Princeps ius nullum habet in bonis & rebus priuatorum, nisi respectu superioritatis & iurisdictionis, & in cons. 154. nume. 1. idem affirmat

4 de bonis Vniuersitatis, † quòd scilicet Princeps in illis dominium vel proprietatem prætendere minime potest. & tradit pulchre Ab. in clem. vni. de baptis. num. 8. post glo. inibi, & late Lancel. Conrad. in Temp. Omni. Iudic. lib. 1. §. 3. vers. 5. & Doctores cõmuniter in l. decernimus. C. de Episc. & Cleric. Et hanc esse magis communem, æquiorem, & rationabiliorem seu veriorem (ne dicam verissimam) Doctorum opinionem attestatur Fulgos. in l. fin. C. si cont. ius vel vtilit. pub. vbi inquit, ita se consuluisse, prout vere consuluit cons. 61. col. 2. & Fulgos. refert, & sequitur Felin. in cap. quæ in ecclesiarum num. 54. de constitut. Ioan. Fab. in l. bene a Zenone. C. de quadri. præscri. Boss. tit. de Principe

nume.

nume.390.late Ant.Gab.tit.de Iur.quęsi.non toll.conclus.1. num.1. Menochi.de Arbitr.Iud.quæst.48.num.7.Rimi.Iun. in cons.45.num.89.& 90. lib.1.& nouissime Bursat.in cons. 37.num.23.lib.1. Et prædictis obuiam nunc prodeat Angelus sibi contrarius in cons.139. Visis omnibus col. 3. vbi ita inquit: Non enim potest Ciuitas, aut Princeps, non interueniente delicto, priuare subditum suum dominio rei suæ expedite & simpliciter. hinc est, quòd glos. dicit, Principē non esse dominum mei libri.l.bene a Zenone.C. de quadri. præscri. & not. in l. deprecatio.ff.ad l.Rhod. de iactu propterea auferre mihi meum pro nulla causa, est mihi iniustitiam facere: † Lex autem vel rescriptum continens, vt mihi iustitia denegetur, etsi habeat clausulam derogatoriam, 5. Non obstante lege aliqua; tanquam contra ius naturale nō tenet, vt not. Innoc. in cap. quæ in ecclesiarum.de constitut. ita Angelus.

Ex quibus deducitur, improbabilem † reddi Parisij sen- 6 tentiam in cons.1.num. 38.& seq. lib.4. dicentis, quòd etsi Princeps directò non possit tollere ius a subditis, possit tamen per indirectum; iubendo, vt si rem petant, non audiātur a suis magistratibus & officialibus, sequitur Ruin. cons. 171.num.5.& 9.lib.4. sed vterque sine ratione, cum in vtroque ius auferatur sine causa; quod iniustum est, vt inquit Ferdin. Mendocæ in lib. 1. Disput. Iur. Ciu. cap.5. num.38. At cum Doctores inquiunt in d.c.quæ in ecclesiarum, quòd Princeps actionem, quæ est de iure ciuili, tollere potest; & sic facere, quòd ius non reddatur volentibus agere; vbi Abb. num.13.& Felin.num.78.attestantur, hanc esse communem Doctorum opinionem; ex æquo affirmant, Principem facere non posse, quin Iustitia ministretur: & ideo reuerti dicitur ad primæuum ius gentium; quo sine actione, sed manu regia administrabatur Iustitia, vt etiam idem Ruin. tradit in cons.46.num.5.& 16. lib.1. Et re vera, addiderim ego, † Princeps non potest quempiam priuare dominio rei suæ, etiam si ille de cuius iure agitur, esset infidelis, vel Iudæus, 7 ex traditis per Innoc. in cap. super his nu. 3. de voto, Abb. in d.c.quæ in ecclesiarum num.12. Dec.inibi.nu.109. Guid. Pap.cons.195. num.5.& late per Foller.in Praxi Censua. in vers. Et submissiones num.16. † Immovero Princeps aufe- 8 rendo ius quæsitum sine iusta & legitima causa appellatur

Tyran-

9 Tyrannus: † quoniam plenitudo potestatis non extenditur ad aliquod iniquum, vt ibi per Foller. num. 17. & Bal. in tit. de Pac. Constan. col. 21. dixit, quòd aliena largiri sine culpa possidentis, quædam tyrannidis species est, & in cap. 1. de Feud. Marchiæ appellat Tyrannos eos, qui sine causa ius quæsitum alteri auferunt: quia plenitudo potestatis non tribuit aliquid iniqui; quem refert Curt. Seni. in cons. 35. num. 32. & Gomes. in reg. 1. de Non toll. iur. quęs. pag. 9. vers. putarem tamen. Quibus accedat Bar. in Extrauag. Ad Reprim. in ver. Videbitur. num. 12. vbi ita inquit: Non enim quis potest esse solutus magis legibus, quàm Imperator; & tamen sua libertas ad hoc non extenditur, vt iura videlicet alterius vllo modo tollere, vel lædere possit. asserens nu. 13.
10 hoc esse verum, † etiamsi ius alteri quæsitum sit de iure ciuili. Et tradit Bossi. tit. de Principe. num. 191. Craue. cons. 7. num. 10. & late de Antiq. Temp. par. 1. in prin. num. 38. Menoch. de Recuper. Poss. Remed. 8. num. 64. & Pinel. egregie in d. 1. par. Rubr. cap. 2. num. 5. & 9. vbi communem dicit, & magis communem ponit Craue. in cons. 172. num. 3. Et Viui lib. 2. Com. opin. 635. & Georg. Viuien. in Tabul. Instit. lib. 2. tit. 8. num. 6. Burs. cons. 187. num. 38. lib. 2. & congerit late Ant. Gabr. tit. de Iure quæsito non toll. conclus. 1. nu. 18. vers. contrariam autem opinionem. Quòd si radices huius veræ doctrinæ scire magis desideras, videas Fort. Garzi. in l. Gallus. §. & quid si tantum, nu. 295. ac deinceps. ff. de liber. & posthu. quem approbat, & commendat Didac. Couar. in Epit. Decret par. 2. §. 9. in fine, & cui consonat Salomonius in hac l. Princeps, num. 7.

11 Et quamuis † Imperator habeat iurisdictionem generalem in vniuerso. l. deprecatio. ff. ad l. Rhod. de Iactu, & late per Cagno. in proœm. ff. num. 4. vers. secundo aduerte cum pluribus seq. (quod quidem intelligendum est prout declarat Fernand. Vasq. in lib. Controuers. Illustr. cap. 20. Sot. de Iust. & iur. lib. 4. q. 4. art. 2. & Nauarrus in relect. cap. nouit in. 3. not. num. 156. & 157. de iudic.) non tamen rerum priuatarum dominium habet, glo. in l. bene a Zenone. C. de quadri. præscri. (reprobata opinione Martini, qui ob Imperatoris timorem, vel amorem omnia Imperatoris esse dixit, vt inquit Andre. de Iser. in Constit. si dubitatio.) tradit late Bar. in proœm. ff. num. 3. qui hoc ipsum repetit

in

in .l. 1 §. per hanc. num. 2. ff. de rei vendic. & in .l. hoſtes. §. 7. ff. de capti. & poſtlim reuerſ. Alex. in conſ. 112. num. 3. lib. 4. & in conſ. 76. num. 6. lib. 2. Igne. in .l. neceſſarios. §. non alias in. 3. par. num. 56. poſt Luc. de Pen. inibi adductum. ff. ad Senatus C. Syllan. & per Rolan. in conſ. 1. num. 101. lib. 2. late & not. per Didac. Couar. in relect. reg. Peccatum in. 2. par. §. 9. num. 5. de reg. iur. in. 6. Craue in conſ. 238. num. 11. & per Ant. Gab. in tit. de Acquirer. dom. concluſ. 3. num. 8. Accedat nunc Marcus Aurelius Imperator in Epiſt. ad Cornelium, vbi inquit, vocem iſtam: Principes omnium rerum priuatarum domini ſunt; ab aſſentatoribus ipſorum Principum prodijſſe; qui propterea immediate addit: Quare dum Princeps priuatarum rerum iniuſte domini fieri volunt, iuſto Deorum iudicio rerum ſuarum iacturam faciunt. † Et Adrianus Imperator ſæpius in Senatu dixiſſe fertur; ita Rempublicam ſe geſturum, vt ſciret rem populi eſſe, non propriam, vt poſt alios refert Roderic. in Spec. Vitæ hum. lib. 1. cap. 2. Iuſtitiæ namque proprium eſt, alienum non attingere; vt ſignanter dixit Carneades, relatus a Lactan. Firmia. de Iuſtitia, lib. 1. ca. 17. & Seneca in lib. 7. de Beneficiis ita notanter inquit: Ad Reges poteſtas omnium: ad ſingulos proprietas. & paulo poſt: Sub optimo Rege omnia Rex imperio poſſidet: ſinguli dominio. Omnia ſunt in imperio Cæſaris: in patrimonio propria. Prædictis autem omnibus obuiam fiant Theologi. Sotus namque in d. q. 4. art. 1. ita conſtanter affirmat: Neque Imperator, neque Principum vllus eſt proprietarius dominus. Turca enim eſt, addit, qui, vt fertur, illa dominatur tyrannide, vt cunctas ſubditorum ſubſtantias tanquam ſuas proprias poſſideat; vt pro libito vniuerſa ſibi, vt putat, poſſit vſurpare. & refert Pinel. in l. 2. par. 1. rubr. num. 24. & 26. C. de reſcind. vendit. & Card. Bellarminus in Controuerſ. 5. lib. 3. cap. 3. tom. 1. dicit, † quod nomen Domini proprie acceptum non conuenit niſi ſoli Deo. Nec propterea tolluntur Reges & Principes; † qui non proprie Domini ſunt, ſed miniſtri Dei, qui vnus Dominus eſt. † nullus enim titulus maior: nam verus Dominus † duas habet conditiones, quæ nullæ creaturæ conueniunt; vna eſt, vt poſſit pro libito vtire, cuius eſt dominus, & eam augere, minuere, mutare, annichilare &c. altera vt nulli ſeruiat, ideſt, nulla re indige-

12 13 14 15 16

ar.

ar,sed se ipso sufficiat. hæc ille,qui ex Tertulliano,& sanctis
17 Patribus Augustino, & Hieronymo deducit. † Præterea Rex dicitur a regendo, & consulendo: non a regnando, & dominando, vt inquit D. Augustinus in 5. lib. de Ciuitate
18 Dei. † Ideo Primi Iusti Pastores Pecorum, potius quàm Reges hominum, dicti sunt. vt late ostendit D. Tho. in 3. lib. de Regim.Princ Vnde Medina in 1.2.D.Thom.q.90. art.2. inquit: Reges & Principes non sunt domini,sed ministri, & dispensatores Reipublicæ, adducit Isa. cap. 5. Sap.cap.6. & D.Paul.Rom.cap.13.qui hoc nomine eos vocat, dicens: Ministri enim Dei sunt: in hoc ipsum seruientes. ergo, infert Medina, non possunt instituere leges ad priuatum commodum,& vtilitatem. Quinimo,addit,asserere,quòd Principes, & Reges habeant dominium in bonis subditorum, ita vt possint conuertere ea in propriam vtilitatem, & instituere leges in proprium commodum; dogma est pestiferum,& omnibus modis execrandum. Hæc autem ipsa veritas ratione etiam demonstrari posse videtur, quæ est huiusmodi:
19 † Eius est potentia,cuius est actus,vt in lib. de Somno,& vigilia inquit Philosophus, l. Diuus. §.fin.ff.de vsu,& habit. &
20 Hier.Gabri.in cons.24. num.30. lib.2. † At Dominij actus simpliciter,& absolute non est Principis. ideo potestas trãsferendi dominium non conuenit formaliter Principi. Pro-
21 batur minor; † Potestas transferendi dominium,est actus effectiuus quantum ex se est,rationis naturalis. §. Feræ Instit.de Rer.diuis. Craue. in cons.293. sub nume. 4.& docet Didac. Couar. in Relect. Peccatum par.2.§.11. sub nume.3. de reg.iur.in 6. & Sotus egregie quidem in lib. 4.q.4. art.1. de Iust.& iur. Ergo repugnat,quòd Princeps auferat alicui dominium rei suę,& illud absque iusta causa in alium transferat: diximus enim, Principem ratione naturali minime solutum esse.

22 Sed neque defuerunt † (rem certe admiratione dignam) qui affirmare ausi sunt, Principem etiam de iure diuino rem alterius auferre posse de plenitudine potestatis (licet id vetetur præcepto septimo Decalogi,& notat Mart. Nauar. in Comment.in Rubr.de iudici.num.89.vbi inquit,quòd omnes etiam Monarchas dictum præceptum ligat) ita dixit Restaur. Castal. de Imperat.q.100.casu 16.adducens tex. 1. Reg. cap. 8. Populo enim Iudæorum petenti Regem; Sa-

muel ex persona Dei sic loquitur: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis; filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarũ, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & olieta optima tollet, & dabit seruis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Hæc tamen quæ commemorantur a Samuele, nõ sunt ea quæ Reges secundum Iustitiam facere debent, sed ea quæ per violentiam facere solent: quæ Samuel diligẽtissime enumerauit, vt populum a petitione deterreret. Hæc est explanatio sanctorum Patruum Hieronymi, & Cypriani. † Et dictam violentiam denotat etiam verbum, Auferet, quod per 23
vim tollere significat, vt habetur in l. sed exinendi. ff. ne quis eum, qui in ius voc. not. glo. in l. 3. §. non solùm. ff. de incend. rui. & Roma. in cons. 364. in princ. Et longe a vero distat, quòd de iure diuino Princeps sit dominus substantiæ populi, vel subditorum, vt ostendit tex. in lib. Ezechielis cap. 46. ita inquiens: Et non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum, sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis, vt nõ dispergatur populus meus vnusquisque a possessione sua. Vbi Hector Pintus: Aspicis, inquit, non esse Principem dominum substantiæ populi; immo debet protegere subditos velut Iustitia animata, & lex viua: & ita debet conseruare populum, vt videatur potius a Principe nutriri, quàm Princeps a populo sustentari. hæc ille. Idem habetur Exod. 20. Leuit. 19. & Deut. 5. Deinde exemplis hoc ipsum perspicuum fit. Acab enim, & Iezabel vxor eius mala morte interierunt, pro violentia, quam fecerunt Naboth de vinea sua, vt in 4. Regum scriptum est. E contra Dauid Rex cum vellet altare condere ad Deum placandum, pro numeratione populi fastuosa nimis offensum, aram emit ab Oram Iebusæo; ipsoque offerente gratis, recusauit Rex. & vt legitur. 5. Paralip. 21. pro præfata area dedit Dauid sexcentos siclos auri iustissimi ponderis. † Cæsus autem speciales, in quibus Princeps 24
ex iusta, & legitima causa potest aliquem dominio rei suæ priuare, vide per Ias. in l. Barbarius col. 7. de offic. Præt. Felin.

fin. in cap. nonnulli num. 63. & 65. de rescrip. Guid. Pap. in conf. 195. num. 4. & per Menochi. de Arbitr. Iud. quæst. lib. 1. q. 45. num. 19. Quibus addo D. Tho. in lib. de Reg m. Princip. cap. 11. vbi inquit, quòd Principes in duobus casibus tãtum grauare possunt subditos in bonis eorum, & rebus; ratione videlicet delicti, & pro bono communi sui regiminis; præter verò dictos duos casus stipendijs suis contenti esse debent.

SVMMARIVM.

1 Princeps de plenitudine potestatis omnia potest, declaratur, num. 5. & seq.
5 Verba ad intellectum possibilem referenda sunt.
6 Deus duas habet potestates in vniuersum Orbem.
7 Deus ex parte potentiæ eius etiam absolutæ non potest ea, quæ contradictionem implicant.
8 Publica vtilitas, & particularis sine iusta causa pugnant inter se.
9 Voluntas, & potestas idem sunt in Deo, non autem in Principe.
10 Solus Deus, quidquid vult, debet velle propria voluntate; ita vt aliam quam sequatur non habeat.
11 Princeps vti debet sua potestate cum sapientia semper.
12 Christus propter publicam hominum vtilitatem potestatem sibi datam esse dixit.
13 Princeps a Deo constitutus est, vt faciat iustitiam, & iudicium.
14 In vero Principe tria requiruntur.
15 Potestas Principum quamuis ordinatio Dei sit: vsurpatio tamen rerum publicarum, quando violato iure fit, non est a Deo præcipiente, sed in punitionem subditorum permittente.
16 Potestatis legitimus vsus inspiramen Dei est.
17 Aliud est potestas, aliud vsus potestatis.
18 Princeps nihil admittere debet, quod rationi, & æquitati obuiet.
19 Ratio non decipitur, nec decipit.
20 Voluntas Principis etiam sine ratione considerata est causa, & norma ferendarum legum: sed contra num. 22. & seq.

21 *Cuicunque Reipublicæ sua ipsius gubernatio competit.*
22 *Intellectus l.1.ff.de constitut.Princip. & num.seq. præsertim num.69.70.71. ac deinceps.*
23 *Legislatoris motus a ratione proficiscitur.*
24 *Voluntas dicitur secundum quod aliquid absolute appetit.*
25 *Voluntas in ratione est.*
26 *Iudicium legis est iudicium solius rationis: iudicium hominis est iudicium rationis, & libidinis.*
27 *Princeps nō petitur, eligitur, vel constituitur a subditis, quatenus sæpe in tyrannidem vertitur.*
28 *Gubernare proprie rationis est.*
29 *Principari est inter reliquos priorem existere.*
30 *Ratio assidens Principi quicquid in eo periculosum est demit.*
31 *Principes asperitate notati.*
32 *Tyranni obiectum est voluptas: Principis autem quod bonum est.*
33 *Voluptas esca malorum omnium.*
34 *Hoc volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas; Tyranni, non boni Principis voluntas dicenda est, & nu.74.*
35 *Potentia in coactionem, & persuasionem diuiditur.*
36 *Tyranni regimen habet se ad instar Demonum.*
37 *Antigonis Regis celebris responsio.*
Teodosius Imperator recusauit hæreditates priuatorū, sibi delatas, ne in Tyrannorum suspicionem incideret.
38 *Alexander Magnus Iustitiæ subditum se esse dixit.*
39 *Tyranni opus quod nam sit.*
40 *Iuppiter sine iustitia imperare non potuit.*
41 *Princeps rerum omnium est diuina voluntas.*
42 *Principis voluntas licet habeat vim legis in cogendo, non tamen habet rationem Iustitiæ, nisi ex hoc quòd ratione vtitur.*
43 *Lex essentialiter est in ratione, & non in voluntate, absque ratione considerata.*
44 *Ratio intelligi debet, quæ recta sit.*
45 *Prudentia, est recta ratio rerum agibilium.*
46 *Prudentia, & ciuilis scientia res eadem habitusque vnus est.*
47 *Ratio quid sit.*
48 *Rationis plura attributa pulchra quidem cum pluribus seq.*
59 *Cæsar magnus est, sed maior ratio, & veritas.*

Prin-

Princeps non habet in superiorem nisi Deum, & rationem naturalem.
Ratio naturalis, & Prudentia regulant actus humanos.
60 Principatus penes Rationem est, & num. seq. declaratur nume. 70.
61 Rationi seruire summa libertas est.
63 Princeps non debet dominari, sed ratio.
64 Ad rationem omnes animæ potentiæ reducuntur.
65 Ratio vti Princeps super hominum quiete & salute ordinata est.
66 Ratione quod caret extirpandum est.
Deus non potest facere ea, quæ non sunt rationabilia.
67 Homo, qui non vtitur ratione, non est homo, sed bestia.
72 Absurdum ab omni dispositione reijciendum est.
73 Verbum, Consuli, quid significet.
75 Ratio ponit leges & imperia voluntati.
76 Voluntatis perfectio in hoc sita est, vt rationi obtemperet.
77 Lex diuina ad hoc vt iusta sit sufficit pro ratione voluntas.
78 Lex humana ad hoc vt sit iusta, & possit obligare, non sufficit voluntas legislatoris, sed oportet, quòd sit vtilis Reipublicæ, & moderata cum ceteris.
79 Voluntas non est regula actionum alicuius creaturæ, & 80.
81 Iurisperiti inscitia, & adulatione notati.
82 Principis voluntas non habet rationem primæ regulæ.
83 In Deo idem est intellectus, & voluntas secundum rem, secus in nobis: & propter hoc nec idem est, voluntas, & rectitudo voluntatis in nobis.
84 Princeps quod contra rationem facit, nec voluntate Dei, nec potestate sibi tradita facit.
85 Princeps est animal rationale; a qua rationis lege nulla lex eum absoluere potest.
86 Ille solus tantum, quantum vult, potest; qui se nisi quod debet, non putat posse.
87 Ratio omnium regina coloribus non suis, Iuris scilicet status, fingitur.
88 Ius, & Iustitia reddit vnicuique quod suum est.
89 Iuris quod non est, iniuriæ adscribendum est.
90 Iniuriam inferre maximum omnium malorum.
91 Homo iuuans reddit se similem Deo: iniuriã faciens se a Deo longe seiungit.

Ver-

Regnorum.

121 *Dominium fundatur in libero arbitrio & ratione.*

§. SEPTIMVS.

VT autem tollatur omnis error Doctorum, duo eorum fundamenta animo, & mēte consideranda sunt; quibus ipsi non bene iactis innixi, non mirum certe, si prolapsi sunt, & in grauissimos in ciderunt errores. at his bene intellectis, & declaratis, non dubito, quin hæc veritas ab omnibus libentissime amplectenda, tuendaque sit.

Primum igitur eorum fundamentum, quo hanc absolutam Principis potestatem secundum voluntatem,& opinionem eorum, non secundum rationem interpretati sunt, dicentes omnium subditorum bona Principi patere, & alia
1 huiusmodi; illud esse videtur, † quòd Imperatoris potestas maxima & incomparabilis est, vt ipsi inquiunt: pro-
2 pterea quòd sicut Deus est Princeps in Cælis, † ita Imperatorem suum Vicarium, & dominatorem in terris constituit l.2.ibi: Quia diuinæ res.C.de vet.iur.enucle. & est glo. sing. in prin. rubri. Auctẽn. de Hæred. & Falci. & quòd recte appellari possit Rex Regum,& Dominus dominantium,vt inquit Lancel.Conrad.in Temp:Omni.Iud.lib.1.§.1.vers.Orbem.num.9.& per Menochi de Præsumpt.lib.2.præs.10.nume.3.& dixit Bal.in cons.373. num.2.& 3. lib. 1. Si placet Principi,valeat ac si placeret Deo, vt in Auctẽn. de Consulib. in fine. idem dixit in cap. fin. de nou. for. fidelit. in hæc verba: Quod facit Princeps, facit vt Deus, ideo potest mutare quadrata rotundis. cap.proposuit de concess.præben.& cap.cum venissent de iudic. Et vt factum pro non facto, & scitum pro non scito habeatur. cap. is qui fidem de sponsal.
3 & clem.1.de præben. † Tantaque est celsitudo supremi Principis,vt sibi lex imponi non possit,propterea quod Deus illi leges subiecerit, vt idem Bal. inquit in capit. 1. in fine de alienat. feu. & est tex. in d. §. fin. Auctẽn. de Consulib. Et quando Princeps facit aliquid de plenitudine potestatis, nihil opponi potest,Bal.ibidem num.9. Et nemo potest ei dicere: Cur sic facis? Bal. in proœm. Feud. nume. 34. & per Cagno. in l. in totum in fin.ff.de reg. iur. vbi Saluatoris no-

stri

stri exemplum adducit Ioan. cap.4. Nec quis audiri debet aduersus illud, quod Princeps facit de plenitudine potestatis, sed sibi imponi perpetuum silentium, Bal. in capit. 1. si quis autem in prin. de Pace Constan. Et Princeps est omnia, & super omnia, Bal. in tit. qual. dom. propriet. Feu. priue. nume. 8. & per Craue. in cons. 241. num. 3. Et rerum naturas mutare potest, vt inquit Afflict. in cap. 1. §. similiter. nume. 88. de Capit. qui Cur. vend. † Et in summa Princeps de 4
plenitudine potestatis omnia potest, vt inquit Ancha. Iuni. lib. 2. quæst. famil. q. 6. num. 3. cum aliis de quibus per Craue. in cons. 241. nume. 2. 3. 4. & 20. vbi declarat, & late in tract. de Antiq. Temp. par. 1. in prin. num. 38. cum pluribus seq. & per Dec. in cons. 588. num. 1. ac deinceps.

Hoc † autem fundamentum construendæ potestatis Prin 5
cipis, positum in verbis simpliciter prolatis (ne dicã in verbis grauibus, & turgidis) corruit, nisi in intellectu possibili illud iaciatur, iuxta l. fin. C. de cont. & com. stip. & l. stipulatio ista §. si qui sunt. ff. de verb. oblig. Est igitur pro responsione animo & cogitatione complectendum id quod claritatis gratia distinguendo dixit Sotus in lib. 2. de Iust. & iur. q. 3. art. 8. † Deus inquiens duas habet potestates in vniuer- 6
sum orbem. vnam, quòd iure creationis est dominus, non solum bonorum omnium exterorum, verùm & corporum, & ipsius etiam vitæ, & Angelorum; quos tanquam sua opificia in nihilum redigere potest. alteram verò quòd est legislator, atque adeo vniuersalis omnium iudex ratione primæ potestatis, quia s. est dominus, quæ absoluta dicitur, potest vniuscuiusque rem alteri tradere, ipso inuito; quod quidem nullam habet dispensationis rationem: cum enim rem tuã alteri tradis, non dispensas in furto, quia capiens non furatur: ratione verò alterius potestatis, præcise consideratæ; si Deus esset tantum Legislator, & non Dominus, innocentẽ & minime criminosum inuitum rationabiliter suis bonis nudare non posset, quia hoc est adeo intime iniquum, vt fieri iuste nequeat, ita Sotus. Cui addo Card. Contarenum in Compen. primæ Philosophiæ lib. 2. vbi ita inquit: Deus re quidem est causa rerum, ac dominus; quia terminus quidem est habitudinis, ac relationis aliarum rerum ad ipsum. Sicut enim cetera habent ad Deum habitudinem, ita etiam re, non ratione, est illius habitudinis terminus, ac propterea

dominus.

dominus est. Et D. Dionysius Areopagita in lib. de Diuinis Nominib. cap. 5. par. 4. ita inquit: Deus omnia rerum initia, limites omnes ac terminos continens, ac ante habēs, super omnia est, quoniam ante omnia per substantiæ excellentiam præest: ideo & omnia ipsius sunt, simul & dicuntur: & tamen nihil est omnium. Si igitur Princeps Dei potestatem æmulando, prima illa potestate, quia scilicet est dominus, quam absolutam diximus, vti velit; quis non videt, hoc eidem nullo modo licere, cum non sit rerum creator, supremusque omnium dominus, verùm pura creatura, ipsi Deo subdita, & peccator. quinimo si vera proloqui fas est, nefanda, iudice me, temeritas, audacia, superbia est, vnum homunculum, qualis est Imperator, summo maximoq; Deo se similem iactare, suamque pusillam imbellem, tantillulam prouidentiam, & potentiam immensæ & ineffabili illius potentiæ, & prouidentiæ velle conferre, assimilare, adæquare: demonumque superbiam e cælo cadentium imitari, & emulari videretur, ne dicam superare. verba sūt Ferdinan. Vasq. in lib. 1. Controuers. Illustr. cap. 21. num. 33. Et D. Augustinus in illud Psal. Deus adiuua me, negat homines proprie, & absolute dominos esse, sicut Deus est. Si autem altera potestate, quia scilicet est Legislator Princeps se vti posse dicat, quomodo rem vnius alteri tradet, eo inuito, cū hoc adeo sit intime iniquum, vt fieri iuste non possit, vt dictum est.

7 † Deinde respondeo, quòd Deus ex parte potentiæ eius etiam absolutæ non potest ea, quæ contradictionē implicant, vt per D. Tho. par. 1. q. 25. art. 3. & quæst. de Potentia Dei art. 6. ac etiam in lib. 2. Cont. Gentil. cap. 22. & 25. & Dec. in l. repugnantia num. 3. ff. de reg. iur. & per Menochi. de Retinen. Poss. remed. 3. num. 517. Sed cum potestas Principis sit ad bonum, & ad vtilitatem populorū, non autem ad malum, & ad ipsius, vel alterius priuati vtilitatem,

8 sine iusta causa, vt diximus. † (pugnant enim hæc duo inter se, vt in §. 5. præsertim, num. 24. ac deinceps dictum fuit, quibus addo, quòd familiaris res, prout non dicit ordinem ad bonum commune, sed præcise in priuatum affectum & prauum ordinata, opponitur publicæ. l. iurisgentium. §. si paciscar. ff. de pact. l. si publicanus. §. 1. ff. de pub. iudic.) perspicuum est, Principis potestatem ad illam se extendere, ad hanc vero nequaquam, etiamsi tu illam absolutam dixeris.

Et confirmatur prædicta responsio: quoniam Deus extra ordinem rerum est, vt nullis possit legibus cogi, nisi illis forte, quas sibi pro voluntate statuit, a quibus sine sui mutatione, tamen sine alicuius rei præiudicio posset, si vellet, recedere, vt inquit Iacobus Naclantus in suis Quæstionib. q. 2. in 5. pur &c. Et quia Deus, qui omnia potest, nulli subiicitur, cum sit causa & principium omnium, vt in terminis inquit Ferr. Carzi. in l. Gallus. §. & quid si tantum, num. 309. ff. de lib. & posthu. Princeps autem licet vicem Dei gerat in terris, non propterea dicere potest: Aut non licet mihi quod volo facere? sicut Deus, Matth. 20. quasi dicat sic, quia voluntas Dei nullo modo potest esse distorta, vt Lira- 9 nus ait. † Neque in Principe idem sunt voluntas, & virtus siue potestas, prout idem prorsus sunt in Deo, vt in 1. senten. & alibi Theologi inquiunt. † Solus enim Deus quic- 10 quid vult, propria voluntate vult; ita vt aliam, quam sequatur, non habeat supra se, vt inquit D. Anselmus in lib. de Similitudinib. cap. 8. † Sua igitur potestate semper cum sa- 11 piētia Princeps vti potest, ac debet, prout sēper facit Deus; intelligendo etiam de absoluta eius potestate, vt declarat D. Tho. in q. de Potentia Dei art. 5. in responsione ad quintum, cuius quidem Vicarius in terris Princeps esse dicitur, & est; qui ob eam causam propter vtilitatem potius subditorum, quàm ipsius propriam regere, & gubernare debet. † Ipse namque Dominus ad hunc finem dixit sibi datā fuis- 12 se potestatem omnis carnis, Ioan. 17. Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam, & cap. 10. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Hæc est certe illa vera potestas, quam Princeps Christi Vicarius imitari, & emulari debet, si re, & non tantum nomine Princeps haberi velit; cuius titulus N. Dei gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, de Pace tenen. in prin. hic est Reipublicæ, non priuatæ accomodus. additque not. ibi tex. Quoniam a diuina præordinante clementia solium regiæ maiestatis conscendimus, dignum est, vt cuius præcellimus in munere, illi omnino pareamus. † Et Princeps a Deo constitutus est, vt faciat iustitiam, & 13 iudicium 3. Reg. cap. 10. tex. not. in Auctен. de Constit. quæ dignit. in prin. & in Auctеn. Vt non luxur. cont. natu. in prin. Afflict. in cap. 1. §. simili. et num. 15. C. de Capita. qui

cur.

eur. vend. alioquin peccat cōtra ordinationem Dei, & Principis nomine indignus est, can. scelus 2. q. 1. Iustitiam quippe in terra custodire tenetur Princeps, adeo vt si eam nō custodiat, & propter eius culpam latrones increscunt, ad restitutionem tenetur: quia reditus quos habet, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, vt Iustitiam custodiat in terra, secundum D. Thom. 22. q. 62 art. 7. ita inquit Andre. de Iser.
14 tit. quæ sint Rega. in vers. Vectigalia. num. 14. † Et alibi scribit Oldra. in cons. 59. col. 1. quòd in vero Principe tria requiruntur, potentia, sapientia, & diuinus cultus; plus tamen confidere debet in diuino cultu & sapientia, quam in potentia, quia Deum vltorem habet: & qua mensura metietur alios, eadem ipse remetietur. l. rem non nouam. C. de iudic. Bal. in cons. 309. lib. 1. & per Craue. in cons. 135. num.
15 44. † Et quamuis potestas Principum ordinatio Dei sit, vsurpatio tamen rerum priuatarum, quando violato iure fit, non est a Deo præcipiente, sed tamen in punitionem subditorum permittente; de quibus per Oseam: Regnauerunt, &
16 non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui. † Potestatis namque vsus, quando legitime fit, inspiramen Dei est; de hoc enim vsu peculiariter illud intelligitur Prouer. 8. Per me Reges regnant: & legum conditores iusta decernūt, vt inquit Sotus lib. 4. de Iustit. & Iur. q. 4. art. 1. in fine, & Oldra. in cons. 180. col. 3. Vnde in Auten. quom. opor. Episc. in prin. legitur, Sacerdotium, & Imperium dona esse Dei, a suprema collata clementia. Pro huius autem potestatis exa-
17 cta doctrina notandum est, † quod aliud est potestas: aliud vsus potestatis. potestas omnis bona est, & a Deo est, vsus autem prouenien s ex hominis voluntate, non semper bonus est, nec a Deo est, sed a propria hominis volūtate, abutente potestate, vt docte annotauit D. Greg. lib. 2. Moral. cap. 6. & lib. 18. cap. 3. & consonare videtur D. Tho. lib. 3. de Regim. Prin. præcipue cap. 7. Data igitur dicitur potestas respectu concessionis potestatis: permissa autem respectu vsus voluntatis. Vnde idem D. Greg. Moral. lib. 4. cap. 8. docens quo pacto potestate vtendum sit, inquit: Potestas namque cum habetur, & cogitanda est ad vtilitatem, & dissimulanda propter tumorem; quatenus is qui ea vtitur, & vt prodesse debeat, posse se sciat: & vt extolli non debeat,
18 posse se nesciat. † Princeps igitur in vniuersum nihil ad-

mitteret, quod rationi obuiet, & æquitati, vt est elegantissimus tex. in l. digna vox. C. de legib. & tradunt recentiores in repet. l. 2. in 1. par. num. 99. ff. de orig. iur. † Nam neque decipitur ratio, nec decipit vnquam, vt inquit Manlius lib. 2. Astro. cui consonat Bal. in cons. 218. prope fin. lib. 3. Rationis nomine, inquiens, Iustitiam arbitror intelligi, quæ non fallit, nec fallitur. l. vlt. C. de pond. auri, & idem repetit in proœm. Decretal. num. 44. Quibus addo Cæpol. in tract. de interpret. leg. extens. num. 96. inquit enim: Dictum Angeli in l. 1. C. si quis Imperat. maledi. quòd videlicet inter habentes supremam potestatem solus Deus est iudex; verum esse, quando nolunt de facto acquiescere, & se subiicere rationi naturali, & ita intelligendum, ac menti tenendum. Cæpol. autem sumpsit a Bal. in proœm. C. num. 31. vbi videndū est. 19

Alterum illorum fundamentum est. l. 1. ff. de constit. Princip. & §. sed quod Principi Instit. de iur. nat. l. Princeps. ff. de legib. & l. digna vox. C. eo. tit. † Existimant enim per dicta iura, quòd voluntas Principis, etiam sine ratione considerata, sit causa & norma ferendarum legum, & absoluti ipsius regiminis. Vnde Bal. in cons. 373. num. 1. lib. 1. cum apparatu dixit: Imperator noster quicquid sibi placet, pro lege statuit habendum, & sic pro ratione voluntas. l. 1. ff. de constit. Princ. & in cons. 333. in prin. lib. 1. Princeps de plenitudine potestatis facere potest, quod ei libet, iuxta antiquum verbum: Sibi libet. l. Princeps. ff. de legib. l. digna vox. C. eo. Idem dixit in l. relegati, & ibi glo. ff. de pœnis. Et huc spectare videtur idem Bal. in proœ. ff. prope fin. quando inquit: Quicquid fit, ex quo Imperator non reuocat, valet, saltem ex lege Augusti l. apud §. 1. ff. de manumiss. † Cuicunque enim Reipublicæ sua ipsius gubernatio competit, veluti rebus vniuersis sua ipsarum conseruatio, videlicet, vt se vel Optimatum potentia, vel Populi regat, aut Regali, quare suapte sponte in Principe omne suum imperium & potestatem transtulit, l. quod Principi. ff. de constitut. Princ. vt inquit Sot. lib. 4. de Iust. & iur. q. 2. art. 1. & repetit in lib. 4. sentent. distin. 25. q. 2. art. 1. † Verum enimuero libera Principis voluntas per d. l. 1. denotata, rationem nullo modo excludit; nam voluntas Principis vigorem legis habet, si ratione sit regulata, & fiat animo condendi legem; cuius forma traditur l. humanum, C. de legib, vt inquit Ioan. Monac,

nat. in extrauag. de dolo & contu. in glo. magna. Et Bal. in d.l.1.notat, quòd hæc auctoritas: Quicquid Principi placuit, debet intelligi.s.possibile, & honestum, & repetit Ias. ibidem. Pulchre autem Andre. de Iser. in tit. de Capit. qui Cur. vend. § similiter num. 29. dixit: Quod Principi placuit, legis habet vigorem si placeat sicut bono viro, & bono Principi, idque late deducit. Et consonat Ioan. Igne. in repetit. §. non alias ex.l. necessario num. 191. in 2. par. ff. ad Senatus consul. Syllania. hoc modo: Et Iurisconsulti dicere solent, Principis voluntatem sic regulandam, & talem esse debere, quæ iuri & rationi conformis sit.l.ex facto.ff de vulg. & pupil. substit. Et Pet. Gāmar. in tract. de Extensionib. nu. 22. ita argumētatū. Octauo principaliter adducitur tex. in §. quod Principi Instit. de Iur. nat. vbi apparet, quod sola volūtas Principis attēditur in lege cōdēda, & vt dixit glo. in c. gratiose de rescrip. In his quæ sunt iuris positiui est pro ratione voluntas. pro quo facit. c. proposuit de concess. preben. tex. & glo. in l. 1. in vers. Prætor ratus. ff. de postul. facit tex. & ibi not. Card. in clem. 1. in prin. de appell. Hæc tamen non obstant, respondet ipse, quia licet legis potentia proueniat a voluntate mouente, tamen iste motus debet esse cum ratione. nam voluntas debet a ratione velut duce moderari, vt in proœm. Decret. vnde Horatius: Animum rege, qui nisi paret, imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce cathena.

23 † Quod autem Legislatoris motus a ratione proficiscatur, docet etiam Nicol. Card. de Cusa in lib. 1. de Ludo Globi, & in lib. de Berillo cap. 36. Sic enim inquit: Voluntas autem, quæ est ipsa ratio in primo intellectu, bene dicitur exemplar, sicut voluntas in Principe, ratione fulcita, exēplar legis est: quod enim Principi placet, legis habet vigorem. Accedat quòd verba sunt proprie intelligenda.l.1. §. is qui naue. ff. de exer. act. l. 3. §. hæc verba, vbi Bar. ff. de neg. gest.

24 † Vnde licet voluntas dicatur secundum quod aliquid absolute appetit, vt inquit D. Tho. 2. sent. distin. 24. art. 2. ad Card. Hannibald. Attamen verba ista: Quod Principi placuit, voluntatē quæ in ratione est, significare potius dicendum est, quàm effrenatam cupiditatem & libidinem, secundum Arist. in 3. de

25 Anima tex. 42. inquiens: † In parte rationali voluntas fit: in irrationali concupiscentia & ira. & in contex. 50. addit: Cum autem secundum rationem mouetur, & secundum voluntatem

l..atatem mouetur, & in 6 Topic. lc co 70. inquit: Omnis enim voluntas in parte animæ est, quæ rationalis est ... & de Arte Rhet. cap. quarum rerum causa fiant omnia: Est autem voluntas, boni appetitio cum ratione. Et Plato in suis Definitionibus dixit: Voluntas est desiderium cum recta ratione, appetentia rationi consentanea, appetentia cũ ratione secundum naturam. Consonat Bal. in rub. C. de pœnis Iud. qui ma. iud. & Menochi. de Arbitr. Iud. quæst. 7. num. 17. & docet subtilissime Socrates in lib. quem Plato Gorgias, vel de Rhetorica inscripsit. & accurate Franciscus Piccolom. in lib. de Vniuersa Philos. Mora. gra. 2. cap. 44. ac etiã grã. 4. cap. 9. in fine, & gra. 2. cap. 42. Ad hoc etiam conducit dictio, legis, in d. l. 1. posita. lex enim iusta est. can. erit autem distin. 4. prout etiam ad rem nostram arguit Fernãd. Vasq. in lib. 1. Controuers. Illustr. cap. 2. num. 2. & vt inquiũt Recentiores in repetit. l. 2. in ver. rarum. ff. de orig. iur. Suprema est Principis potestas, sed infra limites Iustitię conclusa. Item quanto immensior est Principis potestas, tanto magis æquitatem exigit, & Iustitiam, quam in primis colere, & colendam alijs præscribere debet. Quinimo ad probandum, quòd in Principem potestas legitima translata fuit, adducitur d. l. 1. ff. de constit. Princ. per Alcia. in respon. 2c9. num. 7. in §. 3. adductum. Quòd si ille instistat, verba contex. d. l. 1. significare potius iudicium hominis, quàm iudicium legis Dec. in cap. si pro debilitate num. 80. de offic. deleg. † quod quidem iudicium legis, est iudicium solius rationis: iudicium hominis, est iudicium rationis, & libidinis, idest, hominis, & bestiæ, Arist. 3. Polit. cap. 12. Respondetur, quòd Princeps est, qui iudicio rationis potius, quàm libidinis vtitur: Tyrannus autem, qui iudicio libidinis, & non rationis vti vult, vt nos multifariam ostendisse credimus. † Præterea respondetur ad contextum d. l. 1. quòd Rex seu Princeps, cuius mentio ibi fit, non petitur, eligitur, vel constituitur a subditis, quatenus sæpe in tyrannidem vertitur, iuxta Aristotelis mentem; vtpote quòd ratio, qua reguntur animi appetitus, liberam voluntatem regere, vel appetitus frenare non debeat; verùm subditi potius dicendi sunt, talem principatum pati, quàm petere, vel eligere: omnis enim talis principatus est præter, immo contra voluntatem subditorum, & tali casu subditi potius patiuntur, quàm agunt:

agunt: quia huiusmodi casus non proueniunt ex subditorū institutione, sed institutorum vsurpatione, vt habetur in additament. in lib. 1. Reg. cap. 8. per illum textum, vbi responsionem istam a nobis excogitatam, inuenimus. Quod quidem comprobari posse videtur ex Arist. lib. 4. Polit. cap. 10. prope finem, vbi loquens de tertio Tyrannidis genere inquit: Itaque non est voluntarium imperium: nemo est suæ voluntatis iurisque vir, qui æquo animo tale imperium perferat. Et Polybius lib. 6. Neque tamen, inquit, quælibet Monarchia Regnum dici debet, sed ea duntaxat, quæ voluntario subditorum consensu conceditur: & magis pro animi sententia regitur, & gubernatur, quàm timore, & violentia.

28 Quibus accedat D. Tho. 22. q. 47. art. 12. inquit enim: † Gubernare proprie rationis est, & ideo vnusquisque in quantū participat de regimine & gubernatione, in tantum conuenit sibi habere rationem & prudentiam. & in 1. par. q. 108. art. 5. (ex mente D. Greg. in Homil. 34. super Euang.) Prin

29 cipari † est inter reliquos priorem existere; quasi primi sint in executione eorum quæ imperantur. oportet enim, vt ipsa regula primum recta sit, nihil habens obliquum, quo deinde cetera sibi admota exequet, vt inquit Plutarchus in lib. qui ad Principem ineruditum inscribitur. Vnde Bal. in cons. 10. col. 3. lib. 4. Princeps qui tenet supremam potestatem, seruare debet summam honestatem, & æquitatem tanquam

30 regula: nam ratio a capite edi debet. † Quæ quidem ratio assidens Principi, & velut custos in mente recondita, quicquid in potentatu periculosum est, tanquam in athletico habitu demit, & salubre tantùm relinquit, vt ex mente

31 Demosthenis inquit Stobæ. in serm. de Magistratu. † Verùm multi Regum, & Principum, addit ipse, sine mente imperitos statuarios imitantur, qui colossos putāt ita demum magnos videri, si multum diuaricatos, distentos, & hiantes fecerint. nam & illi Principes grauitate vocis, aspectus asperitate, difficultate morum, & conuersandi aspernatione magnitudinem, ac seueritatem Imperij exprimere se putant. Ad prædictorum autem confirmationem accedat Arist. in d. cap. 12. lib. 3. Polit. vbi Regem absolutum secundum rationem regentem atque gubernantem describit. & in cap. 5. eiusdem lib. 3. Regnum, vnam ex tribus Reipublicæ speciebus iustam ac legitimam esse dixit: & Regem absolu-

solum m esse voluit, qui bonus sit, ceterisque præstet virtute, vt dictum est: & contrarium ipsi Tyranno pluribus in locis Politicorum præsertim verò in lib. 4. cap. 10. & lib. 5. cap. 10. esse dixit. Confirmantur etiam prædicta, quoniam, vt diximus, publica populorum vtilitas, quæ nomen, ac finē Principi imponit, bonum ipsum, voluntati attributum, designat. Et profectò si verba: Quod Principi placuit, ita non intelligamus, fatendum est omnino, non Principem, sed Tyrannũ significare: Est † enim obiectum Tyranni voluptas seu cupiditas effrenata: Regis autē, quod iustum est, vt in d. lib. 5. Polit. cap. 10. auctor est Aristoteles, quo nihil certe insulsius excogitari, dicine posse videtur. diuinus enim Plato, vt refert Cicero de Senectute, Escam † malorum voluptatem appellat, & in cap. de legib. Ab ea, inquit, quæ penitus in omni sensu implicita insidet imitatrix boni voluptas: malorũ autem omnium mater. Quid plura? Cogeremur fateri, inde iniurias proficisci, vnde iura nascuntur, contra l. meminerint C. vnde vi. l. 1. C. de his qui veni. ætā. impet. & c. qualiter, & quando de accusat. † Quòd autem voluntas Principis absque ratione accepta, iuxta illud: Hoc volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas; de quo habetur in glo. fin. l. filio pater. ff. de lega. 1. Tyranni, & non boni Principis voluntas dicenda sit, indicat nobis Xenophon in Vita Cyri lib. 1. quando Mandane Cyri mater ita loquitur: Atqui non eodem iure vtitur auus tuus, quo Persæ vtuntur. is enim vniuersarum rerum quæ sunt in Media dominum se constituit: apud Persas verò lege sancitum est, vt æquo quisque & pari iure cum ceteris viuat. ac pater tuus omnium primus, quæ ciuitati præstat, ex decreto institutoque præstat. atque ipse etiam certa & constituta accipit: resque non ex sua ipsius voluntate moderatur, sed ex legibus. vide igitur, ne verberibus neceris, cum domi fueris; si reddas loco regiæ tyrannicam disciplinā ab eo edoctus. Id quod significauit etiam D. Greg. Nazian. in Orat. 1. in Iulianum Imperatorem, cum dixit: † Quocirca cum potentia in persuasionem, & coactionem diuisa sit; ita se comparauit, vt quod inhumanius erat, nimirum vim & tyrannidem, populari turbæ ciuitatibusque permitteret (vt quarum vesana audacia intollerabilior sit propter temerarios animi motus atque præcipites ad omnia impetus) idque nequaquam publico edicto, verum.

rum ex eo quod impetum audaciamque minime reprimebat, velut proposita quadam lege nō scripta, id se velle promulgauis, quod autem lenius atque humanius erat, magisque Imperatorem decebat; id sibi videlicet assumpsit; nempe suadendi atque illiciendi partes: nec tamen id quidem vsquequaque retinuit &c. Et concinit D.Thom. in lib.3.de
36 Regim.Princ.cap.7. cum inquit, † quod regimen Tyranni habet se ad instar Demonum, quorum potestas iusta a sacris doctoribus habetur: voluntas tamen semper iniqua.
37 † Vnde Antigonus Rex dicenti omnia Regibus licere; Per Iouem, inquit, Barbarorum Regibus: nobis autem quæ honesta sūt, vt refert Plutarchus in Apopht. Cui accedat Frāc. Petrarcha in 1.lib.de Remed. vtriusq. Fort.dial.96. vbi Rex, sum, inquit: nihil non licet; respondet autem Ratio: Nulli minus; immo verò quod olim licuit, iam non licet. & forte si de Regno licentiam aucuparis, non te regem noueris, sed tyrannum. Inde Theodosius Imp. recusauit hæreditates priuatorum sibi delatas, quas priuati iure naucifcuntur; nempe vt omnem suspicionem auaritiæ submoueret, & subditis exemplo esset: neue in tyrannorum suspicionem, qui tantum suis commodis, non subditorum consulunt, incideret. vt inquit Symac.lib.2.ser 3. & refert Pet. Gregor.in lib.
38 9.de Repub.cap.1.num.2. † Et propterea Alexander ille magnus Iustitiæ se subditum, inferioremque illa se esse affirmauit, vt auctor est Plutarchus in poster.orat.de virtute Ale
39 xandri. † Tyranni namque opus est, maleficiendo suis cum terrore inuitis imperare, in mutuo semper odio cum subditis versantis: Regis vero contra benefaciendo vniuersis cū liberalitate atque clementia sponte subiectos gubernare, in mutua semper beneuolentia & caritate viuentis, vt vetustissimus omnium qui nobis supersunt historię Romanæ Poly-
40 bius lib.5.inquit. † Quid vltra? Ne Iuppiter quidem sine Iustitia imperare potuit, vt veteres voluisse affirmat Plutarchus, ad rem nostram proprie accedendo; dum perquirit, num ne iuxta Anaxarchi dictum ad Alexandrum Principi liceat facere quod vult in Opusc. cui titulus, Ad Principem ineruditum. Tandem vnicuique sufficere potest Angelicus Doctor in q.23.art.7.de Volunt. Dei, vbi ita argumentatur: Præterea secundum hoc aliquid est iustum, quod legi concordat, sed lex non videtur aliud quàm explicatio volunta-

tis Principis, quia quod Principi placuit, legis habet vigorem. † cum igitur Princeps rerum omnium sit diuina volũtas, videtur quod ex ipsa sola dependeat omnis ratio Iustitię. Cui argumento sic ille respondet: Ad secundum dicendum, † quòd licet voluntas Principis habeat vim legis incogendo, non tamen habet rationem Iustitiæ, nisi ex hoc quòd ratione vtitur. & repetit in 1.2.q.90.art.1.hoc modo: Dicendum, quòd ratio habet vim mouendi a voluntate, vt supra dictum est: ex hoc enim quod aliquis vult finem, ratio imperat de his quæ sunt ad finem: sed vt voluntas de his quæ imperãtur legis rationem habeat, oportet quòd sit aliqua ratione regulatã: & hoc modo intelligitur, quòd voluntas Principis vigorem legis habet, alioquin voluntas Principis magis esset iniquitas, quàm lex. verba sunt Angelici Doctoris, pulchra quidem, & notanda. † Et quòd lex essentialiter sit in ratione, & non in voluntate, absque ratione accepta, ostendit latissime Medina in 1.2.q.90. art.1. Et concinit D. Bernardus de Consideratione ad Eugenium lib.3. At quomodo, inquit, non indecens tibi, voluntate pro lege vti: & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem. tunc maior domino tuo, qui ait Ioan. 16. Non veni facere voluntatem meam. Quanquam non minus deiecti, quàm elati animi est, velut rationis expertem, non pro ratione, sed pro libitu agere: nec in iudicio agi, sed appetitu. quid tam bestiale? Et Aristoteles obseruabilis in 5. Ethicor. cap. 6. vbi ita loquitur: Idcirco non hominem imperare sinimus, sed rationem: quòd hæc sibi ille sumit (nempe plus eorum quæ bona sunt) & quæ mala minus. est autem custos cõseruatorque iuris Princeps; quod si iuris, & æquabilitatis & c. Cum autem † dico Rationem, intelligo rationem rectam, secũdum Arist. in 6. Ethic. cap. 5. quando inquit, † quòd Prudentia est recta ratio rerum agibilium, vitiosus namque etiam cum ratione agit: † Prudentia autem, & Ciuilis scientia res eadem habitusque vnus est, vt docet Arist. in d. lib. 6. Ethic. cap. 8. etsi ratione & forma distinguantur: nam Prudentia dicitur, vt ad nos, nostramque perfectionem refertur: Ciuilis verò scientia, vt refertur ad alios. Quam quidem Rationem † (quæ animi motus est, visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens, vt inquit D. Augustinus in lib. de Spiritu, & Anima)

41 42 43 44 45 46 47

 Le-

Legem Dei dixit Fort.Garzi. in l.Gallus.§.& quid si tantum num.309. ff. de lib. & posthu. Et prępotentem Deum Ciceroquem adducit Budæ. videndus in Pandect. in 2. annot.
48 l.1 ff. de Iust. & iur. † Et Ratio, idest Deus, inquit Seneca epist.66.& epist.67. Ratio verò Dijs, hominibusque communis est; hæc in illis consumata est, in nobis consumabi-
49 lis. † Et legem ab ipsa Dei bonitate procedentem,& quendam Deum nobis domesticum vocat Hieroclis Philosophus
50 in Pithago. versu aureo. 11. † Et magnum Deum Agatbo apud Strobæum serm.de Prudentia. Vnde Cicero in lib. de
51 Natura Deorum,† Ratio est, inquit, quæ pręstat omnibus.
Item in Tuscul. Domina omnium & regina Ratio. Et ma-
52 gistra rerum omnium ratio dixit Seneca Epist.71. † Et arbitra bonorum, & malorum, epist.67. vbi sic etiam ratioci-
53 natur: † Bonum sine ratione nullum est. sequitur autem ratio naturam. quid ergo est ratio? naturæ imitatio. quid est summum hominis bonum? ex naturæ voluntate se gerere.
54 † Ac Deum sequi,& rationi parere, idem esse, tradit Plutar-
55 chus in Opusc.de Auditione. Nec mirum certe. † nam illa quoque diuina ratio omnibus prępolita est, ipsa sub nullo est. & hæc autem nostra eadem est, quia ex illa est, vt Seneca
56 inquit epist.93. qui & in d.epist.67. dixit: † Ratio autem nihil aliud est, quàm in corpus humanum pars diuini spiri-
57 tus mersa. Et Sotus de Iust.& iur.lib.1.q.1. † Ratio est spiramen diuini numinis. Et deiforme ac diuinum illam nun-
58 cupat D.Greg.Nazian.in lib.3.de Theologia. † Et D.Dionysius in lib.de Diuinis Nominib.cap.7.inquit, quòd Ratio Deus nominetur a sacris eloquiis, & habetur docte quidem
59 apud D.Augustinum epist.2. † Vnde Bal. in l. Emilius col. fin.ff.de minorib. Magnus est Cæsar, sed maior ratio, & veritas. & Afflict.in cap.feudum num.47.si de feud.fuer.cōtro. inter dom. & agna.inquit ex mente D.Thomæ 22.q.47.art. 7.quòd Princeps non habet in superiorem nisi Deum,& rationem naturalem: & quòd ratio naturalis,& prudentia regulant actus humanos. Id quod voluit Bal. in l.3. col.3. C.loca.& condu. Vnde Guid Pap. in cons. 195. nu.6. Princeps inquit ex rectitudine rationali procedere debet. Et Plutarchus in opusc. de Amore prolis iure optimo affir-
60 mat, † quod Principatus penes rationem est, prout D. Dionysius in epist.4. vbi dicit, quod Rationi diuinitus Princi-

H 2 patus

patus traditus fuerit. † Et Rationem Principem esse, inquit pulchre quidem Plutarchus in Opusc. in Principe requiri doctrinam in hæc verba: Difficile est his qui gerunt imperium, de Imperio consulere: reformidant enim rationem, ceu Principem admittere; ne potentiæ bonum, quod habere videntur, impediat; si astringat, & seruire cogat honesto. 61
† (Cum tamen rationi seruire summa libertas sit, vt inquit Bal. in cons. sub tit. C. si quis aliq. testa. prohi. col. 5.) Egregie autem Arist. 1. Polit. cap. 3. Ratio, inquit, Architecti, siue eius qui regit. & imperat nomen obtinet. Et in lib. 10. Ethic. cap. 9. Rationem vitæ Ducem appellat. Vnde in Margarita Doctorum habetur par. 1. distin. 3. cap. 7. † Princeps non debet dominari, sed ratio. Et Gerson. in tract. de Considerat. quas debet habere Princeps lib. 1. partic. 2. ita effatur: Quis Rex sub Deo statutus est? vtique ratio libera; de qua dictum est ab vno sapientum: Si vis omnia tibi subiicere, subiice te rationi, tanquam Regi. † Arridet autem prędictis, quòd omnes animę potentiæ ad rationem reducuntur, sicut etiam omne regimen, omnisque administratio ad Deum, vt Philosophi perhibent. Et rationem Principibus proprie conuenire tradit D. Augustinus in lib. de Spiritu & Anima. Dixitque D. Thomas in lib. de Regim. Princ. capit. 12. Sic quodammodo se habet ratio in homine, sicut Deus in Mundo. Bonumque regimen, quod Rempublicam conseruat, non habet aliunde suam bonitatem nisi a ratione, prout affirmat quoque Cardinalis de Cusa in libr. 10. Excitationum. † Quæ quidem Ratio vti Princeps super hominum quiete & salute a Deo optimo maximo ordinata est, nullaque alia in re, quàm in hominum rerumque suarum conseruatione versatur. Idcirco qui cum illa altercari contendit, iurisdictiones, & res aliorum occupando, certe nihil aliud facit, quam se naturæ opponere: & bellum cum ipso Deo suscipere, vt recte quidem tam eleganter, quàm vere dixit Ioan. Casen. in Orat. ad Carol. V. pro Restitutione Placentiæ. Deus namque omnium conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, & ordinauit; nihil non ratione tractari, intelligiue voluit, vt scribit Tertullian. in lib. de Pœnitent. 2. Omnibusque animalibus arma naturalia Deus concessit; Canibus, Lupis, Apris dentes: Equis calces: Tauris, Arietibus cornua: & alia alijs; Homini autem nulla natura, nisi ratio-

rationem dedit,qua se defendat, & repellat iniurias, vt inquit Xenophon in Vita Cyri lib.2. Concinit autem prędictis Polybius in lib.6. Historiarum in prin.ita inquiēs: Hoc sane pacto ex Monarcha Tyrannum intelligit, sensim fit Rex,quando ratio principatum sortitur;quam antea possederant ferocia,& potentia. ibique late docet, quomodo ratio,& non aliud Regem & Principem,qui iuste imperet, cōstituit: uis autem & potentia Tyrannum facit. Et consonat celebris illa sententia can. Chorepiscopi distin.68.

66 † Quod ratione caret, extirpare necesse est. Et Magister senten.lib.1.distin.43.inquiens, quòd Deus ipse non potest facere ea quæ non sunt rationabilia. Et Glo. in Auctem. de

67 Mona.in prin.dicens: † Homo qui non vtitur ratione, non est homo,sed bestia. Sicut enim anima in herbis, plantis, & animalibus est vita, eò quòd tanquam forma intus alit (anima enim forma corporis est, & quamdiu eam homo habet, viuit) ita rationalitas animalitatem quodammodo viuificat,intusque alit; ex quibus homo constat metaphisice: quemadmodum ex anima & corpore phisice,vt scite inquit Ludouicus Garbalius de Restituta Theologia capit. 36.

68 † Huiusmodi autem rationis principatus intelligendus est, quemadmodum declarat D. Greg. Nazian. in Epist. 1. ad Cleodonium, ita inquiens: Quocirca mens nostra perfecta quidem est, & Princeps: non autem simpliciter perfecta, Dei autem serua est & subdita: non principatus socia, atque honoris æqualis. quippe & Moses Pharaonis Deus, ita Dei famulus describitur: & stellæ quemadmodum noctem illustrant, ita vicissim a Sole obscurantur, nec interdiu vllo modo apparent: & splendor exiguus, magno incendio adiunctus,nec extinguitur,nec lucet, nec distinguitur, sed totum illud incendium est, superante nimirum eo, quod vberius est. Cui concinit Agapetus ad Iustinianum Imperatorem Monitor.68.in hæc verba: Imperator vt est omnium dominus, ita cum omnibus seruus Dei existit. tunc igitur vocabitur dominus,cum ipse sibi dominari; nec illicitis voluptatibus famulari patietur. tum adiutricem piam rationem assumens, inuictam.s.imperatricem animi perturbationum, rationis expertium; indomitas cupiditates armatura castimoniæ debellabit.

Et libet hic recensere,quòd l.digna vox.C.de legib.quam Docto-

mittet, quod rationi obuiet, & æquitati, vt est elegantissimus tex. in l. digna vox. C. de legib. & tradunt recentiores in repet. l. 2. in 1. par. num. 99. ff. de orig. iur. † Nam neque decipitur ratio, nec decipit vnquam, vt inquit Manlius lib. 2. Astro. cui consonat Bal. in cons. 218. prope fin. lib. 3. Rationis nomine, inquiens, Iustitiam arbitror intelligi, quæ non fallit, nec fallitur. l. vlt. C. de pond. auri, & idem repetit in proœm. Decretal. num. 44. Quibus addo Cæpol. in tract. de interpret. leg. extens. num. 96. inquit enim: Dictum Angeli in l. 1. C. si quis Imperat. maledi. quòd videlicet inter habentes supremam potestatem solus Deus est iudex; verum esse, quando nolunt de facto acquiescere, & se subiicere rationi naturali, & ita intelligendum, ac menti tenendum. Cæpol. autem sumpsit a Bal. in proœm. G. num. 31. vbi videndũ est. 19

Alterum illorum fundamentum est. l. 1. ff. de constit. Princip. & §. sed quod Principi Instit. de iur. nat. l. Princeps. ff. de legib. & l. digna vox. C. eo. tit. † Existimant enim per dicta iura, quòd voluntas Principis, etiam sine ratione considerata, sit causa & norma ferendarum legum, & absoluti ipsius regiminis. Vnde Bal. in cons. 373. num. 1. lib. 1. cum apparatu dixit: Imperator noster quicquid sibi placet, pro lege statuit habendum, & sic pro ratione voluntas. l. 1. ff. de constit. Princ. & in cons. 333. in prin. lib. 1. Princeps de plenitudine potestatis facere potest, quod ei libet, iuxta antiquum verbum: Sibi libet. l. Princeps. ff. de legib. l. digna vox. C. eo. Idem dixit in l. relegati, & ibi glo. ff. de pœnis. Et huc spectare videtur idem Bal. in proœ. ff. prope fin. quando inquit: Quicquid fit, ex quo Imperator non reuocat, valet, saltem ex lege Augusti l. apud §. 1. ff. de manumiss. † Cuicunque enim Reipublicæ sua ipsius gubernatio competit, veluti rebus vniuersis sua ipsarum conseruatio, videlicet, vt se vel Optimatum potentia, vel Populi regat, aut Regali, quare suapte sponte in Principe omne suum imperium & potestatem transtulit, l. quod Principi. ff. de constitut. Princ. vt inquit Sot. lib. 4. de Iust. & iur. q. 2. art. 1. & repetit in lib. 4. sentent. distin. 25. q. 2. art. 1. † Verum enimuero libera Principis voluntas per d. l. 1. denotata, rationem nullo modo excludit; nam voluntas Principis vigorem legis habet, si ratione sit regulata, & fiat animo condendi legem; cuius forma traditur l. humanum, C. de legib. vt inquit Ioan. Monac.

20 (beside "dicta iura" line)
21 (beside "Cuicunque" line)
22 (beside "Verum enimuero" line)

nat. in extrauag. de dolo & contu.in glo. magna. Et Bal. in d.l.1.notat,quòd hæc auctoritas: Quicquid Principi placuit, debet intelligi.s.possibile, & honestum, & repetit Ias. ibidem. Pulchre autem Andre. de Iser. in tit.de Capit.qui Cur.vend.§ similiter num.29.dixit: Quod Principi placuit, legis habet vigorem si placeat sicut bono viro, & bono Principi,idque late deducit. Et consonat Ioan. Igne. in repetit. §.non alias ex.l.necessario num.191. in 2. par.ff.ad Senatus consf. Syllania. hoc modo: Et Iurisconsulti dicere solent, Principis voluntatem sic regulandam, & talem esse debere, quæ iuri & rationi conformis sit.l.ex facto.ff de vulg. & pupil.substit.Et Pet.Gāmar.in tract.de Extensionib.nu.22.ita argumētatū. Octauo principaliter adducitur tex.in §.quod Principi Instit. de Iur.nat.vbi apparet, ꝙ sola volūtas Principis attēditur in lege cōdēda, & vt dixit glo.in c.gratiose de rescrip. In his quæ sunt iuris positiui est pro ratione voluntas. pro quo facit.c.proposuit de concess.preben.tex.& glo. in l.1. in vers. Prætor ratus.ff.de postul. facit tex. & ibi not. Card.in clem.1.in prin.de appell. Hæc tamen non obstant, respondet ipse, quia licet legis potentia proueniat a voluntate mouente,tamen iste motus debet esse cum ratione.nam voluntas debet a ratione velut duce moderari, vt in proæm. Decret. vnde Horatius: Animum rege,qui nisi paret,impe-
23 rat. Hunc frenis,hunc tu compesce cathena. † Quod autem Legislatoris motus a ratione proficiscatur,docet etiam Nicol.Card. de Cusa in lib. 1. de Ludo Globi, & in lib. de Berillo cap.36. Sic enim inquit: Voluntas autem, quæ est ipsa ratio in primo intellectu, bene dicitur exemplar, sicut voluntas in Principe,ratione fulcita,exēplar legis est: quod enim Principi placet, legis habet vigorem. Accedat quòd verba sunt proprie intelligenda.l.1.§.is qui nauē.ff.de exer.
24 acti.l.3.§.hæc verba,vbi Bar.ff.de neg.gest.† Vnde licet voluntas dicatur secundum quod aliquid absolute appetit, vt inquit D.Tho.2.sent. distin.24. art.2.ad Card. Hanibald. Attamen verba ista: Quod Principi placuit, voluntatē quæ in ratione est, significare potius dicendum est, quàm effrenatam cupiditatem & libidinem, secundum Arist. in 3. de
25 Anima tex.42.inquiens: † In parte rationali voluntas fit: in irrationali concupiscentia & ira. & in contex.50. addit: Cum autem secundum rationem mouetur, & secundum volun-

[illegible]tatem mouetur, & in 6 Topic. loco 70. inquit: Omnis
enim voluntas in parte animæ est, quæ rationis est compos.
& de Arte Rhet. cap. quarum rerum causa fiant omnia: Est
autem voluntas, boni appetitio cum ratione. Et Plato in
suis Definitionibus dixit: Voluntas est desiderium cum re-
cta ratione, appetentia rationi consentanea, appetentia cũ
ratione secundum naturam. Consonat Bal. in rub. C. de pœ-
nis Iud. qui ma. iud. & Menochi. de Arbitr. Iud. quæst. 7. num.
17. & docet subtilissime Socrates in lib. quem Plato Gor-
gias, vel de Rhetorica inscripsit. & accurate Franciscus Pic-
colom. in lib. de Vniuersa Philos. Mora. gra. 2. cap. 44. ac etiã
grá. 4. cap. 9. in fine, & gra. 2. cap. 42. Ad hoc etiam condu-
cit dictio, legis, in d. l. 1. posita. lex enim iusta est. can. erit
autem distin. 4. prout etiam ad rem nostram arguit Fernád.
Vasq. in lib. 1. Controuers. Illustr. cap. 2. num. 2. & vt inquiunt
Recentiores in repetit. l. 2. in ver. rarum. ff. de orig. iur. Supre-
ma est Principis potestas, sed infra limites Iustitiæ conclusa.
Item quanto immensior est Principis potestas, tanto ma-
gis æquitatem exigit, & Iustitiam, quam in primis colere,
& colendam alijs præscribere debet. Quinimo ad proban-
dum, quòd in Principem potestas legitima translata fuit,
adducitur d. l. 1. ff. de constit. Princ. per Alcia. in respon.
209. num. 7. in §. 3. adductum. Quòd si ille instistat; verba
contex. d. l. 1. significare potius iudicium hominis, quàm iu- 25
dicium legis Dec. in cap. si pro debilitate num. 80. de offic.
deleg. † quod quidem iudicium legis, est iudicium solius ra 26
tionis: iudicium hominis, est iudicium rationis, & libidi-
nis, idest, hominis, & bestiæ, Arist. 3. Polit. cap. 12. Respon-
detur, quòd Princeps est, qui iudicio rationis potius, quàm
libidinis vtitur: Tyrannus autem, qui iudicio libidinis, &
non rationis vti vult, vt nos multifariam ostendisse credi-
mus. † Præterea respondetur ad contextum d. l. 1. quòd 27
Rex seu Princeps, cuius mentio ibi fit, non petitur, eligitur,
vel constituitur a subditis, quatenus sæpe in tyrannidem ver
titur, iuxta Aristotelis mentem; vtpote quòd ratio, qua re-
guntur animi appetitus, liberam voluntatem regere, vel ap-
petitus frenare non debeat; verùm subditi potius dicendi
sunt, talem principatum pati, quàm petere, vel eligere: om-
nis enim talis principatus est præter, immo contra volunta-
tem subditorum, & tali casu subditi potius patiuntur, quàm

agunt:

argunt: quia huiusmodi casus non proueniunt ex subditorũ-
institutione, sed institutorum vsurpatione, vt habetur in ad-
ditament. in lib. 1. Reg. cap. 8. per illum textum, vbi respon-
sionem istam a nobis excogitatam, inuenimus. Quod qui-
dem comprobari posse videtur ex Arist. lib. 4. Polit. cap. 10.
prope finem, vbi loquens de tertio Tyrannidis genere in-
quit: Itaque non est voluntarium imperium: nemo est suæ
voluntatis iurisque vir, qui æquo animo tale imperium per-
ferat. Et Polybius lib. 6. Neque tamen, inquit, quælibet Mo-
narchia Regnum dici debet, sed ea duntaxat, quæ volunta-
riò subditorum consensu conceditur: & magis pro animi
sententia regitur, & gubernatur, quàm timore, & violentia.
28 Quibus accedat D. Tho. 22. q. 47. art. 12. inquit enim; † Gu-
bernare proprie rationis est, & ideo vnusquisque in quantũ
participat de regimine & gubernatione, in tantum conue-
nit sibi habere rationem & prudentiam. & in 1. par. q. 108.
art. 5. (ex mente D. Greg. in Homil. 34. super Euang.) Prin-
29 cipari † est inter reliquos priorem existere; quasi primi sine
in executione eorum quæ imperantur. oportet enim, vt ipsa
regula primum recta sit, nihil habens obliquum, quo deinde
cetera sibi admota exequet, vt inquit Plutarchus in lib. qui
ad Principem ineruditum inscribitur. Vnde Bal. in cons.
10. col. 3. lib. 4. Princeps qui tenet supremam potestatem,
seruare debet summam honestatem, & æquitatem tanquam
30 regula: nam ratio a capite edi debet. † Quæ quidem ra-
tio assidens Principi, & velut custos in mente recondita,
quicquid in potentatu periculosum est, tanquam in athleti-
co habitu demit, & salubre tantùm relinquit, vt ex mente
31 Demosthenis inquit Stobæ. in serm. de Magistratu. † Ve-
rùm multi Regum, & Principum, addit ipse, sine mente im-
peritos statuarios imitantur, qui colossos putãt ita demum
magnos videri, si multum diuaricatos, distentos, & hiantes
fecerint. nam & illi Principes grauitate vocis, aspectus
asperitate, difficultate motum, & conuersandi aspernatione
magnitudinem, ac seueritatem Imperij exprimere se pu-
tant. Ad prædictorum autem confirmationem accedat
Arist. in d. cap. 12. lib. 3. Polit. vbi Regem absolutum secun-
dum rationem regentem atque gubernantem describit. &
in cap. 5. eiusdem lib. 3. Regnum, vnam ex tribus Republi-
cæ speciebus iustam ac legitimam esse dixit: & Regem ab-
solu-

solutum esse voluit, qui bonus sit, ceterisque præstet virtute, vt dictum est: & contrarium ipsi Tyranno pluribus in locis Politicorum præsertim verò in lib. 4. cap. 10. & lib. 5. cap. 10. esse dixit. Confirmantur etiam prædicta, quoniam, vt diximus, publica populorum vtilitas, quæ nomen, ac finē Principi imponit, bonum ipsum, voluntati attributum, designat. Et profectò si verba: Quod Principi placuit, ita non intelligamus, fatendum est omnino, non Principem, sed Tyrannū significare: Est † enim obiectum Tyranni voluptas seu cupiditas effrenata: Regis autē, quod iustum est, vt in d. lib. 5. Polit. cap. 10. auctor est Aristoteles; quo nihil certe insulsius excogitari, dicive posse videtur. diuinus enim Plato, vt refert Cicero de Senectute, Escam † malorum voluptatem appellat, & in cap. de legib. Ab ea, inquit, quæ penitus in omni sensu implicita insidet imitatrix boni voluptas: malorū autem omnium mater. Quid plura? Cogeremur fateri, inde iniurias proficisci, vnde iura nascuntur; contra l. meminerint C. vnde vi. l. 1. C. de his qui veni. ætat. impet. & c. qualiter, & quando de accusat. † Quòd autem voluntas Principis absque ratione accepta, iuxta illud: Hoc volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas; de quo habetur in glo. fin. l. filio pater. ff. de lega. 1. Tyranni, & non boni Principis voluntas dicenda sit, indicat nobis Xenophon in Vita Cyri lib. 1. quando Mandane Cyri mater ita loquitur: Atqui non eodem iure vtitur auus tuus, quo Persæ vtuntur. is enim vniuersarum rerum quæ sunt in Media dominum se constituit: apud Persas verò lege sancitum est, vt æquo quisque & pari iure cum ceteris viuat. ac pater tuus omnium primus, quæ ciuitati præstat, ex decreto institutoque præstat. atque ipse etiam certa & constituta accipit: resque non ex sua ipsius voluntate moderatur, sed ex legibus. vide igitur, ne verberibus neceris, cum domi fueris; si reddas loco regiæ tyrannicam disciplinā ab eo edoctus. Id quod significauit etiam D. Greg. Nazian. in Orat. 1. in Iulianum Imperatorem, cum dixit: † Quocirca cum potentia in persuasionem, & coactionem diuisa sit; ita se comparauit, vt quod inhumanius erat, nimirum vim & tyrannidem, populari turbæ ciuitatibusque permitteret (vt quarum vesana audacia intollerabilior sit propter temerarios animi motus atque præcipites ad omnia impetus) idque nequaquam publico edicto, ve-

32
33
34
35

rum.

rum ex eo quod impetum audaciamque minime reprimebat, velut proposita quadam lege nō scripta, id se velle promulgans, quod autem lenius atque humanius erat, magisque Imperatorem decebat; id sibi videlicet assumpsit; nempe suadendi atque illiciendi partes: nec tamen id quidem vsquequaque retinuit &c. Et concinit D. Thom. in lib. 3. de
36 Regim. Princ. cap. 7. cum inquit, † quod regimen Tyranni habet se ad instar Demonum, quorum potestas iusta a sacris doctoribus habetur: voluntas tamen semper iniqua.
37 † Vnde Antigonus Rex dicenti omnia Regibus licere; Per Iouem, inquit, Barbarorum Regibus: nobis autem quæ honesta sūt, vt refert Plutarchus in Apopht. Cui accedat Frāc. Petrarcha in 1. lib. de Remed. vtriusq. Fort. dial. 96. vbi Rex, sum, inquit: nihil non licet; respondet autem Ratio: Nulli minus, immo verò quod olim licuit, iam non licet. & forte si de Regno licentiam aucuparis, non te regem noueris, sed tyrannum. Inde Theodosius Imp. recusauit hæreditates priuatorum sibi delatas, quas priuati iure nanciscuntur; nempe vt omnem suspicionem auaritiæ submoueret, & subditis exemplo esset: neue in tyrannorum suspicionem, qui tantum suis commodis, non subditorum consulunt, incideret. vt inquit Symac. lib. 2. ser. 3. & refert Pet. Gregor. in lib.
38 9. de Repub. cap. 1. num. 2. † Et propterea Alexander ille magnus Iustitiæ se subditum, inferioremque illa se esse affirmauit, vt auctor est Plutarchus in poster. orat. de virtute Ale
39 xandri. † Tyranni namque opus est, maleficiendo suis cum terrore inuitis imperare, in mutuo semper odio cum subditis versantis: Regis verò contra benefaciendo vniuersis cū liberalitate atque clementia sponte subiectos gubernare, in mutua semper beneuolentia & caritate viuentis, vt vetustissimus omnium qui nobis supersunt historię Romanæ Poly-
40 bius lib. 5. inquit. † Quid vltra? Ne Iuppiter quidem sine Iustitia imperare potuit, vt veteres voluisse affirmat Plutarchus, ad rem nostram proprie accedendo; dum perquirit, num ne iuxta Anaxarchi dictum ad Alexandrum Principi liceat facere quod vult in Opusc. cui titulus, Ad Principem ineruditum. Tandem vnicuique sufficere potest Angelicus Doctor in q. 23. art. 7. de Volunt. Dei, vbi ita argumentatur: Præterea secundum hoc aliquid est iustum, quod legi concordat, sed lex non videtur aliud quàm explicatio volunta-

tis Principis, quia quod Principi placuit, legis habet vigorem. † cum igitur Princeps rerum omnium sit diuina volūtas, videtur quod ex ipsa sola dependeat omnis ratio Iustitię. Cui argumento sic ille respondet: Ad secundum dicendum, † quòd licet voluntas Principis habeat vim legis incogendo, non tamen habet rationem Iustitiæ, nisi ex hoc quòd ratione vtitur. & repetit in 1.2.q.90.art.1. hoc modo: Dicendum, quòd ratio habet vim mouendi a voluntate, vt supra dictum est: ex hoc enim quod aliquis vult finem, ratio imperat de his quæ sunt ad finem: sed vt voluntas de his quæ imperātur legis rationem habeat, oportet quòd sit aliqua ratione regulatā: & hoc modo intelligitur, quòd voluntas Principis vigorem legis habet, alioquin voluntas Principis magis esset iniquitas, quām lex. verba sunt Angelici Doctoris, pulchra quidem, & notanda. † Et quòd lex essentialiter sit in ratione, & non in voluntate, absque ratione accepta, ostendit latissime Medina in 1.2.q.90. art.1. Et concinit D. Bernardus de Consideratione ad Eugenium lib.3. At quomodo, inquit, non indecens tibi, voluntate pro lege vti: & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem. tunc maior domino tuo, qui ait Ioan. 16. Non veni facere voluntatem meam. Quanquam non minus deiecti, quām elati animi est, velut rationis expertem, non pro ratione, sed pro libitu agere: nec in iudicio agi, sed appetitu. quid tam bestiale? Et Aristoteles obseruabilis in 5. Ethicor. cap. 6. vbi ita loquitur: Idcirco non hominem imperare sinimus, sed rationem: quòd hæc sibi ille sumit (nempe plus eorum quæ bona sunt) & quæ mala minus. est autem custos cōseruatorque iuris Princeps; quod si iuris, & æquabilitatis &c. Cum autem † dico Rationem, intelligo rationem rectam, secūdum Arist. in 6. Ethic. cap. 5. quando inquit, † quòd Prudentia est recta ratio rerum agibilium, vitiosus namque etiam cum ratione agit. † Prudentia autem, & Ciuilis scientia res eadem habitusque vnus est, vt docet Arist. in d. lib. 6. Ethic. cap. 8. etsi ratione & forma distinguantur: nam Prudentia dicitur, vt ad nos, nostramque perfectionem refertur: Ciuilis verò scientia, vt refertur ad alios. Quam quidem Rationem † (quæ animi motus est, visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens, vt inquit D. Augustinus in lib. de Spiritu, & Anima)

41 42 43 44 45 46 47

Legem Dei dixit Fort.Garzi. in l.Gallus.§.& quid si tantum
num.309. ff. de lib. & posthu. Et prępotentem Deum Ci-
cero,quem adducit Budæ.videndus in Pandect.in 2.annot.
48 l.1.ff. de Iust.& iur. † Et Ratio, idest Deus, inquit Seneca
epist.66.& epist.67. Ratio verò Dijs, hominibusque com-
munis est; hæc in illis consumata est, in nobis consumabi-
49 lis. † Et legem ab ipsa Dei bonitate procedentem,& quen-
dam Deum nobis domesticum vocat Hieroclis Philosophus
50 in Pithago. versu aureo. 11. † Et magnum Deum Agatho.
apud Stobæum serm.de Prudentia. Vnde Cicero in lib. de
51 Natura Deorum,† Ratio est, inquit, quæ pręstat omnibus.
Item in Tuscul. Domina omnium & regina Ratio. Et ma-
52 gistra rerum omnium ratio dixit Seneca Epist.71. † Et ar-
bitra bonorum,& malorum, epist.67. vbi sic etiam ratioci-
53 natur: † Bonum sine ratione nullum est. sequitur autem ra-
tio naturam. quid ergo est ratio? naturæ imitatio. quid est
summum hominis bonum? ex naturæ voluntate se gerere.
54 † Ac Deum sequi,& rationi parere,idem esse, tradit Plutar-
55 chus in Opusc.de Auditione. Nec mirum certe. † nam illa
quoque diuina ratio omnibus pręposita est, ipsa sub nullo
est.& hæc autem nostra eadem est,quia ex illa est, vt Seneca
56 inquit epist.93.qui & in d.epist.67. dixit: † Ratio autem
nihil aliud est,quàm in corpus humanum pars diuini spiri-
57 tus mersa. Et Sotus de Iust.& iur.lib.1.q.1. † Ratio est spi-
ramen diuini numinis. Et deiforme ac diuinum illam nun-
58 cupat D.Greg.Nazian.in lib.3.de Theologia. † Et D.Dio-
nysius in lib.de Diuinis Nominib.cap.7.inquit,quòd Ratio
Deus nominetur a sacris eloquiis, & habetur docte quidem
59 apud D.Augustinum epist.2. † Vnde Bal. in l. Emilius col.
fin.ff.de minorib. Magnus est Cæsar, sed maior ratio, & ve-
ritas. & Afflict.in cap.feudum num.47.si de feud.fuer.cõtro.
inter dom. & agna.inquit ex mente D.Thomæ 22.q.47.art.
7.quòd Princeps non habet in superiorem nisi Deum,& ra-
tionem naturalem: & quòd ratio naturalis,& prudentia
regulant actus humanos. Id quod voluit Bal.in l.3.col.3.
C.loca.& condu. Vnde Guid Pap. in cons. 195.nu.6.Prin-
ceps inquit ex rectitudine rationali procedere debet. Et
Plutarchus in opusc. de Amore prolis iure optimo affir-
60 mat,† quod Principatus penes rationem est,prout D. Dio-
nysius in epist.4.vbi dicit,quod Rationi diuinitus Princi-

patus traditus fuerit. † Et Rationem Principem esse, inquit 61
pulchre quidem Plutarchus in Opusc. in Principe requiri doctrinam in hæc verba: Difficile est his qui gerunt imperium, de Imperio consulere: reformidant enim rationem, ceu Principem admittere; ne potentiæ bonum, quod habere videntur, impediat; si astringat, & seruire cogat honesto.
† (Cum tamen rationi seruire summa libertas sit, vt inquit 62
Bal. in cons. sub tit. C. si quis aliq. testa. prohi. col. 5.) Egregie autem Arist. 1. Polit. cap. 3. Ratio, inquit, Architecti, siue eius qui regit. & imperat nomen obtinet. Et in lib. 10. Ethic. cap. 9. Rationem vitæ Ducem appellat. Vnde in Margarita Doctorum habetur par. 1. distin. 3. cap. 7. † Princeps 63
non debet dominari, sed ratio. Et Gerson. in tract. de Considerat. quas debet habere Princeps lib. 1. partic. 2. ita effatur: Quis Rex sub Deo statutus est? vtique ratio libera; de qua dictum est ab vno sapientum: Si vis omnia tibi subiicere, subiice te rationi, tanquam Regi. † Arridet autem prę- 64
dictis, quòd omnes animę potentiæ ad rationem reducuntur, sicut etiam omne regimen, omnisque administratio ad Deum, vt Philosophi perhibent. Et rationem Principibus proprie conuenire tradit D. Augustinus in lib. de Spiritu & Anima. Dixitque D. Thomas in lib. de Regim. Princ. capit. 12. Sic quodammodo se habet ratio in homine, sicut Deus in Mundo. Bonumque regimen, quod Rempublicam conseruat, non habet aliunde suam bonitatem nisi a ratione, prout affirmat quoque Cardinalis de Cusa in lib. 10. Excitationum. † Quæ quidem Ratio vti Princeps super ho- 65
minum quiete & salute a Deo optimo maximo ordinata est, nullaque alia in re, quàm in hominum rerumque suarum conseruatione versatur. Idcirco qui cum illa altercari contendit, iurisdictiones, & res aliorum occupando, certe nihil aliud facit, quam se naturæ opponere: & bellum cum ipso Deo suscipere, vt recte quidem tam eleganter, quàm vere dixit Ioan. Casen. in Orat. ad Carol. V. pro Restitutione Placentiæ. Deus namque omnium conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, & ordinauit: nihil non ratione tractari, intelligique voluit, vt scribit Tertullian. in lib. de Pœnitent. 2. Omnibusque animalibus arma naturalia Deus concessit; Canibus, Lupis, Apris dentes: Equis calces: Tauris, Arietibus cornua: & alia alijs; Homini autem nuda natura, nisi

ratio-

rationem dedit, qua se defendat, & repellat iniurias, vt inquit Xenophon in Vita Cyri lib. 2. Concinit autem prędictis Polybius in lib. 6. Historiarum in prin. ita inquiés: Hoc sane pacto ex Monarcha Tyrannum intelligit, sensim fit Rex, quando ratio principatum sortitur; quam antea possederant ferocia, & potentia. ibique late docet, quomodo ratio, & non aliud Regem & Principem, qui iuste imperet, cõstituit: uis autem & potentia Tyrannum facit. Et consonat celebris illa sententia can. Chorepiscopi distin. 68.
66 † Quod ratione caret, extirpare necesse est. Et Magister senten. lib. 1. distin. 43. inquiens, quòd Deus ipse non potest facere ea quæ non sunt rationabilia. Et Glo. in Auten. de
67 Mona. in prin. dicens: † Homo qui non vtitur ratione, non est homo, sed bestia. Sicut enim anima in herbis, plantis, & animalibus est vita, eò quòd tanquam forma intus alit (anima enim forma corporis est, & quamdiu eam homo habet, viuit) ita rationalitas animalitatem quodammodo viuificat, intusque alit; ex quibus homo constat metaphisice: quemadmodum ex anima & corpore phisice, vt scite inquit Ludouicus Garbalius de Restituta Theologia capit. 36.
68 † Huiusmodi autem rationis principatus intelligendus est, quemadmodum declarat D. Greg. Nazian. in Epist. 1. ad Cleodonium, ita inquiens: Quocirca mens nostra perfecta quidem est, & Princeps: non autem simpliciter perfecta, Dei autem serua est & subdita: non principatus socia, atque honoris æqualis. quippe & Moses Pharaonis Deus, ita Dei famulus describitur: & stellæ quemadmodum noctem illustrant, ita vicissim a Sole obscurantur, nec interdiu vllo modo apparent: & splendor exiguus, magno incendio adiunctus, nec extinguitur, nec lucet, nec distinguitur, sed totum illud incendium est, superante nimirum eo, quod vberius est. Cui concinit Agapetus ad Iustinianum Imperatorem Monitor. 68. in hæc verba: Imperator vt est omnium dominus, ita cum omnibus seruus Dei existit. tunc igitur vocabitur dominus, cum ipse sibi dominari; nec illicitis voluptatibus famulari patietur. tum adiutricem piam rationem assumens, inuictam. s. imperatricem animi perturbationum, rationis expertium; indomitas cupiditates armatura castimoniæ debellabit.

Et libet hic recensere, quòd l. digna vox. C. de legib. quam

Docto-

Doctores vnà cum l. Princeps. ff. de legib. & l. 1. ff. de constit. Princ. adducunt, ad probandum s. Principis potestatem late patere: & ab eius voluntate liberoque arbitrio pendere; non hoc ipsum, pro quo adducitur, nobis suadere videtur; quinimo contrarium potius ostendit, ex ijs præsertim quæ de illius intellectu diximus in §. 3. † Et quamuis Vlpianus in d. l. 1. nobis ob oculos ponere videatur liberã Principis voluntatem, hoc est, merum imperium summamque ac plenam nulliusque alterius arbitrio atque dominio obnoxiam potestatem, vt inquit D. Greg. Nissenus in lib. de Beatitudinib. cap. 5. & Bal. in c. 1. nu. 31. de constitut. vbi ita loquitur: Puto quod si Papa diceret: De plenitudine arbitrij, vel de plenitudine voluntatis, idem operaretur, quòd si diceret: De plenitudine potestatis. dixerit Budæus de placitis Philosophorum quod sibi lubet in l. vlt. prope fin. ff. de Senat. & post eum Franc. Connan. in Comment. Iur. Ciu. lib. 1. cap. 16. ac etiam Recentiores Vltramont. in §. sed & quod Principi Inst. de Iur. nat. Et quicquid de intellectu d. l. 1. tradiderit Sotus de Iust. & iur. lib. 1. q. 1. art. 1. † Hæc tamen libera Principis voluntas (vltra prædictas responsiones, & alias interpretationes quas supra. §. 1. fecimus in d. l. Princeps; ex qua tanquam ex fonte d. l. 1. & l. digna vox emanauerunt) licet habeat vim legis in cogendo, non tamẽ habet rationem Iustitiæ, nisi fuerit ratione regulata, vt ex D. Thoma, & alijs dictum fuit. Importat enim hæc libera Principis voluntas, siue hoc merum Principis imperium, potestatem supra ius humanum siue positiuum; quod quidem Princeps tollere, ac mutare, & in eo dispensare potest, quando hoc expediens sibi esse videbitur, vt dicemus etiam in §. seq. † Quòd autem dictum Bal. in cons. 373. num. 1. lib. 1. Imperator s. noster quicquid sibi placet, pro lege statuit habendum, & sic pro ratiõne voluntas, non fuerit exprõptum ex d. l. 1. seu ex l. Princeps, vel ex l. digna vox, neque ex alio iuris contextu, sed ab infami indecentique muliere originẽ sumpserit; datur nobis intelligi ex traditis per eundem Bal. in cap. 1. num. 30. de constitut. vbi ita inquit: Videtur quòd plenitudini potestatis nihil resistit: nam omnem legem positiuam superat: & sufficit in Principe pro ratione volũtas. l. 1. ff. de constit. Princ. nam auctoritas veterum, & Mundi necessitas inconueniens induxerunt. vnde dixit Imperatori quæ-

Margin numbers: 69 (at "Et quamuis Vlpianus"), 70 (at "Hæc tamen"), 71 (at "Quòd autem").

quædam mulier, cuius amplexus Imperator dicebat illicitos: Domine si libet, licet. sunt verba Baldi, qui ab absurdo & inconuenienti argumentatur, quique in cons. 148. num. 4. lib. 1. inseruiendo causæ, sic inquit: Voluntas Principum seruatur pro lege de consuetudine generali, facit. l. 1. ff. de
72 constit. Princ. † Perspicuum est autem, quòd absurdum ab omni quidem dispositione reiiciendum est. l. 1. §. quæritur. ff. de publica. Neque tex in d. l. 1. voluntatem sine ratione significat, vt late probauimus. Quòd autem auctoritas veterũ inconueniens istud induxerit, longe distat a vero. nam veterum auctoritate probatur, quòd Principis voluntas ratione regulanda est, quodque Ratio ipsa Princeps est, vt late tradidimus. Nec minus verum est, quòd Mundi necessitas hoc inconueniens induxerit: nam quòd ait Pomponius in l. 2 §. nouissime. ff. de orig. iur. Per partes euenit, vt esset necesse Reipublicæ per vnum consuli; intelligendum est, per vnum. s. qui iustus sit Princeps, non Mundi Tyrannus, quique ratione regit, atque gubernat, vt diximus, ac etiam in
73 §. seq. dicetur. † & ostendit d. verbum, consuli, quod quidem bonum vtilitatemque Reipublicæ, & non aliud significat. Quòd si in hac necessitate insistat quis, & dicat, eam de iure gentium introductam fuisse, iuxta notata per glo. in l. pen. ff. de leg. aduertat quæso, quia iste infringit se ipsum: §. ius autem ciuile vers. quod verò naturalis ratio Inst. de iur. nat. non enim Ratio inconueniens aliquod inducere potuisset l. generaliter, & l. si plagij. ff. de verb. oblig. neque nos eorum successores turpitudinem illorum asserere potuimus, ex late traditis per Craue. in cons. 125. num. 6. Verum est autem, quòd veterum suasio, potius, quam auctoritas, illa fuit, quam Regij Persarum Iudices fecerunt; qui Cambysij sororem ducere cupienti, responderunt, male certe, & iniuste, legẽ quidem nullam esse, quæ tale matrimonium permitteret, sed esse aliam legem, quę Persarum Regi quicquid collibuisset, facere liceret. Et male Anaxarchus qui Alexandrum, Clito interfecto, solari volens, dixit, eo Themin, & Dicen Ioui assistere, vt intelligeremus, omniq; Regum & facta, & consilia pro iustis habenda esse. Scelerate etiam Iulia, mulier illa adducta per Bal quæ priuigno Carcallo dicenti: Vellem, si liceret, respondit: Si libet, licet. an nescis, te Imperatorem esse, & legem dare, & non accipere? Et male superba illa, &

impor-

importuna mulier, adducta etiam a Baldo, quæ odiosum im perat occidi seruum, vel innocentem, his verbis apud Iuuenal. lib. 6. Satir.

Pone crucem seruo. meruit quo crimine seruus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi:
Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens ita seruus homo est, nil fecerit esto.
Hoc volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.

Hæ sunt vere voces, quas Principum assentatores, & impudicæ, ac superbæ, & importunæ mulieres pro iniustitia, non pro veritate: non leges, neque ratio foras miserunt. Et concinit Medina in 1.2 D.Tho.q.17.art.1. in respons. ad quartum, inquit enim. † Hæc doctrina inuenitur apud omnes 74
sanctos, apud omnes recte sentientes; nisi apud perditissimos homines, apud quos valet illud: Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas; qui & in q.60. art.1. in 2. dicto eiusdẽ partis. 1.2. sic inquit: † Ratio ponit leges & imperia vo- 75
luntati, quibus voluntas obtemperare tenetur: † atque adeo 76
perfectio voluntatis in hoc sita est, vt rationi obediat, & obtemperet. Et Franciscus a Victoria de Potestate ciuili in 3. Relect. ostendere volens in quo lex diuina, & humana differant, inquit: † Differunt etiam quia in lege diuina, ad hoc 77
vt iusta sit; & per hoc obligatoria, sufficit voluntas legislatoris, cum sit pro ratione voluntas: † Vt autem lex huma- 78
na sit iusta, & possit obligare, non sufficit voluntas legislatoris, sed oportet, quod sit vtilis Reipublicæ, & moderata cum cæteris.

Prædictis autem hanc clarissimam lucem & veritatem amantibus accedant ea quæ pulcherrime quidem scribit Cardinalis Contarenus de Potestate. Pontificis super Composit. inquit enim: † Hæc positio adeo est falsa, adeo repu- 79
gnat sensui communi, adeo est contraria doctrinæ christianæ, adeo deprauat vniuersi christiani populi gubernationẽ, vt nihil perniciosius inueniri potuerit. nam per Deum immortalem nonne hæc positio idolatriam sapit? † Cui nam- 80
que creaturæ hoc attribui potest, quòd actionum suarum voluntas eius sit regula? an non hoc proprium est solius Dei, primi omnium principij, a quo pendet vniuersa omnium natura. † Isti verò (loquitur enim de Iurisperitis) ob im- 81
peritiam huius potestatis, qualis nam sit, & ad quam animi

virium

virium pertinet,& vt adulentur Pontificibus, adeo absurdā
82 positionem non veriti sunt in publicum prodere. † Et re vera voluntas Principis non habet rationem primæ regulæ, dirigitur enim per rationem & intellectum nō solùm in nobis, sed in Deo: quamuis in nobis aliud sit intellectus, & voluntas secundum rem: & propter hoc nec idem est volun-
83 tas,& rectitudo voluntatis: † In Deo autem idem secūdum rem intellectus, & voluntas: & propter istud idem est rectitudo voluntatis,& ipsa voluntas,vt docet D. Thom. in q. de Voluntate Dei art.6. Inde Fort.Garzi.in l.Gallus.§.& quid si tantum.num.308. Nec Deus,inquit,aliud vult,quod summa ratione non constet, vt in cap. gloriosus in prin. de Re-
84 liq. & venerat.Sanct.in 6. † Igitur,infert ipse, quodcunque Imperator contra rationem fecerit,non voluntate Dei, nec potestate sibi tradita facit. cui concinit Craue. videndus in cons. 296. sub num. 3. vers. & pro fundamento considero.
85 † Concludendum est igitur, quòd Princeps est animal rationale; à qua rationis lege nulla lex eum absoluere,vel eximere potest,vt dixit Bal.in l.2.num.40.C.de seruit. & aqua, & eleganter etiam Fort.Garzi.in d.§.& quid si tātùm, num.
86 295. Et † quòd ille solus tantum,quantum vult,potest, qui se nisi,quod debet,non putat posse,vt Seneca epist.91. luculenter affirmat.
87 Sed † neque defuerunt qui nudam,rectam, venustam Reginam omnium Rationem omni ornatu orationis, vel potius fictionis,tanquam veste detracta,veritatem suis coloribus depingentem; coloribus non suis, Iuris Status.s.fingere, atque simulare conentur; hoc cupiditatem prætexentes. Inquiunt enim Iure Status hoc fieri posse, ac illud fieri debere;
88 esto quòd forte aliud de iure dicendum esse videretur; † cū tamen Iustitia reddat vnicuique quod suum est, vt late docet Arist.in 5. Ethic. & habetur in l. 1. & in l. pen.ff.de Iust.
89 & iur.& Inst.eo.tit.in prin. † Et omne illud, quod iuris non est,iniuriæ adscribendum est; nempe verberationibus,adulterijs,furtis,& his similibus,vt Arist.in eod.loco ostendit.
90 Et sententia fuit Platonis in Gorgia; † Maximum omnium malorum esse,inferre iniuriam: conditionique hominū ma-
91 xime aduersari. † hominem enim iuuans reddit se similem Deo: iniuriam faciens, se a Deo longe seiungit. Quapro-

pter dubitandum non est, quin sicut ad iniuriam propulsandam natura nos inuitat, ita multo magis prohibet, ne vim aut iniuriam inferamus, aut quacunque ratione alterum lædamus: nam si vel omnia alia vincula deessent, reclamaret tamen omnium hominum inter se coniunctio. Vnde Florentinus in l. vt vim: ff. de Iust. & iur. in 2. responso: Et cum inter nos, inquit, cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari, nefas esse. † verbum, Insidiari, late accipit: eoque omnium iniuriarum genera complecti voluit, siue gratia exempli, alterius vxore violanda, siue bonis subtrahendis, siue quacunque ratione inferatur. † Et quidem vox ista, Ius Status, sine Iustitia recte resonare nunquam poterit; coalescat Principum absoluta omnisque humana potestas: † Ab ipsa namque Iustitia Potestas dependet, vt inquit Bal. in cons. 16. Factum sic proponitur lib. 2. & D. Augustinus 3. de Trinit. 92 93 94

- De Iure Status multa dicuntur nouissime a Scipione Admirato in Cornel. Tacit. lib. 12. cap. 1. qui in ea opinione est, vt credat, rem hanc minime a Iurisperitis, sed totam a Philosopho Politico pendere, vt ipse inquit in lib. 13. cap. 4. sed melius saltem dixisset: Non a solis Iurisperitis, prout in simili dixit Franciscus a Victoria in Relect. v. de Indis nouiter inuentis, & apparet, hoc ipsum verũ esse ex ijs quæ ipse Admiratus tradidit de Iure naturali, gentium, & ciuili in prin. d. cap. 1. quorum iurium radices Theologis, & Iurisperitis potius quàm illi defixæ sunt. Sed quoniam hæc disputatio grauissima est, operæ prætium me facturum putaui, si quomodo possem, rem hanc altius ipse perspicerem; præsertim verò cum finitima & intus clausa sit his quæ nunc tractamus.

Animaduertendum est igitur, † quòd Ius Status considerari potest, prout Iustitiæ radicibus, & ita suæ basi ac vnitati tantùm nititur. Vel prout remotum a Iustitia; calliditate Regnum iuuat, & auget. † Ius Status primo modo consideratum, nihil aliud refert, quàm Dominium iurisdictionis & protectionis: nõ autem dominium particulare, quod pertinet ad priuatas personas, iuxta distinctionem Dominiorum quam facit Didac. Couar. in Relect. reg. peccatum par. 2. §. 9. num. 8. de reg. iur. in vj. Bar. in proœm. ff. num. 3. & Dec. in cons. 528. num. 9. Idemque infert, quod Ius Imperij. 95 96

Vir-

Virgil. 1. Aeneid.

Imperium Oceano famam qui terminet astris.

Alcia. in l. bona ciuitatis. ff. de verb. sig. Cum itaque dici-
mus, illud Iure Status fieri potuisse, hoc ipsum importat,
quòd Iure dominij iurisdictionis, vel iure imperij actû esse.
Quod quidem Ius dominij iurisdictionis Reipublicæ, seu
Principatus, vel Regni, & Imperij potentiam, quæ intra li-
mites Iustitiæ conclusa sit, continet, & non aliud certe, vt
satis superque demonstratum fuisse putamus. Quod qui-
dem Ius Status secundum Admiratum, est ius dominij &
imperij, quod propter publicum bonum iuri ciuili commu-
ni & ordinario derogat. quæ quidem descriptio consonat
ijs quæ supra, & in §. seq. per nos dicta fuerunt. Iam enim
a nobis ostensum fuit, Ius dominij iurisdictionis Principa-
tus absoluti supra ius ciuile, seu commune & ordinario, & ad
publicum bonum, publicamque hominum vtilitatem esse.
Neque aliud refert dicta Admirati breuiter comprehensa
verbis enunciatio de Iure Status, quàm suprema Principis
potestas, vt ex his quæ a nobis tradita fuerunt satis appare-
re potest; quamuis exempla, quæ ille adducit, præsertim ex
Cornel. Tacito, rem apertiorem minime faciant. Sed Iuris
Status descriptionem melius constitutam fuisse videtur a
97 Ioanne Botero in libro de Iure Status hoc modo: † Ius Sta-
tus est, quod versatur in cognitione instrumentorum & re-
quisitorum, seu, vt lingua patria dicimus, Mediorum; quæ
ad dominium acquirendum, conseruandum, & augendum
accomodata sunt. Vel potius: Ius Status, est Ars boni &
æqui; cuius omne opus est in acquirendo, conseruando, &
augendo Dominio. particula, Ars, in definitione ponitur
loco generis: boni verò & æqui cum his quæ sequuntur loco
differentiæ. Non igitur nisi quod bonum & iustum est de
Iure Status fieri potest; alioquin non ius, sed iniuria esset.
est enim Ius, ars boni & æqui, vt Caius inquit in l. 1. ff. de
Iust. & Iur. Ius autem Status, quod Regnum calliditate ad-
iuuare, & augere diximus, affirmo, & toto capite annuo, cal-
lidum versutumque, & non ius, sed iniuria, ne dicam tyran-
98 nis, dici debere. † Hoc enim Ius Status vere fuit causa, pro-
pter quam Dei filius Cruci affixus est. Ioan. 11. Si dimitti-
mus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, &
tollent nostrum locum, & gentem. & quòd inde moti fue-

rint Iudæi, tradit D. Augustinus in tract. 49. in Ioan. D. Gregor. in Moral. cap. 13. & D. Ioan. Chrisostomus Homil. 63. & 64. in Ioan. † Occæcat enim in Principibus animos falsa 99
vtilitatis species, cum Regnum adipisci qualibet specie, vtile putatur, vt inquit eloquentissimus & doctissimus M. Ant. Natta, in lib. 7. de Principum doctrina, adducens illud Euripidis apud Cic. lib. 3. offic. Nam si violandum est ius, regnandi gratia violandum est: alijs rebus pietatem colas.
† Euripides autem id capitalis vnum, quod omnium fuerat 100
scleratissimum, excepit: cum nemini expediat delinquere; non modo Regni alicuius adipiscendi gratia, ne si possit quidem Cælo, & Sideribus, cunctisque animatis, atque inanimatis imperare. ita Natta. De his autem Euripidis versibus, quos Cæsar, vt inquit Cicero, in ore semper habebat, seu de improba hac Cæsaris voce meminit doctissimus Menochius, qui rem exemplis quoque illustrat, in cons. 99. num. 87. cum pluribus seq. lib. 1. Et prædictis accedat Neuiza. in Sylua Nuptia. lib. 4. num. 155. inquit enim, † quòd tractan- 101
tes rationem & prudentiam Reipublicæ gerendæ plerunque aut rei familiaris iacturam faciunt, aut honore dispoliantur, aut ijs vita eripitur, aut denique de immortali animi gloria decidunt. Pro hac autem veritate stat compositus orator Casensis vbi supra. Et huc verius & magis ad rem accedant ea quæ de Clausula, De plenitudine potestatis, scripsit Rebuffus adductus in §. 8. num. 15. Cauendum est igitur, ne propter Ius Imperij seu Status perniciose erretur in via conscientiæ, prout in simili inquit Bal. in auth. ad hæc num. 13. in fine C. de vsur. per l. si seruum. §. sequitur. ff. de verb. oblig. quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet: & potentes potenter tormenta patientur. Sap. 6. Sed quæret aliquis illico a me, cur Ius Status, quod optimo iure esse debet, huic præcipua lex iniuriæ definitur? Ex iure namque, quod ipsum met nomen, Ius, sonat, iura, & non iniuriæ nasci oportere dixerunt Imperatores Grati. Valent. & Theod. in l. meminerint. C. vnde vi. † Respondebunt au- 102
tem pro me hæ voces, & hæc improba, & falsa dicta, quæ nunquam animum tuum penetrent. Et imprimis impura, & scelerata illa Cæsaris vox ex Euripide, & Cicerone superius adducta.

Ius regnandi gratia

Violandum: aliis rebus pietatem colas.
Item: In armis ius ferre, & omnia fortium virorum esse. Liui. lib. v. Item: Sua retinere priuatæ domus: de alienis certare regiam laudem esse. Tacit. xv. Ann. Et illud Sallu. in Orat. Lepidi: Nihil gloriosum, nisi tutum: & omnia retinendæ dominationis honesta esse. Item: Vbicunque tantùm honesta dominationi licent, precario regnatur. Sene. in Tragæ. Thyestis. Item: Non cessabitis nobis, gladio accinctis, leges prædicare? Plutar. in vita Pomp. Et idem in Apopht: Qui isto gladio præualet, is optime de finibus disputat. Item: *Quæritur Belli exitus,*
Non causa. Sene. Herc. Fur.
Et Poetæ illud falsum, & improbum:
Sceptrorum vis tota perit, si pendere Iustitia incipit. Lucan. lib. viij. Et illud Barbarũ: In summa fortuna id æquius, quod validius. Tacit. xv. Annal. Denique malitiosum illud dogma, vt alia omittam: Viro, aut Vrbi Principi nihil iniustum, quod fructuosum. Tucid. lib. vj.

103 Hæ † autem voces meliores sunt: Ius, & Aequitas vincula Ciuitatis. Cic. Paradox. Item illud regium: Cum omnia possimus, sola credimus licere nobis laudanda. Theodahad. apud Cassiodot. Variar. lib. 10. Et illud pulchrum: Minimũ decet libere, cui minimum licet. Sene. Troad. Item illud simplex, ac verum: Ego verò nullas opes viro, ac præsertim Principi pulchriores, honestioresque censeo, quàm virtutem, & Iustitiam. Xenoph. de Cyri exped. lib. 7. Et illud pene diuinum: Pietate, & Iustitia Principes Dii fiunt apud Sene. in Ludo de Morte Caii Cæs. Item illud Diui Augustini 4. de Ciuit. Dei: Remota Iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrociniã. Et cap. 6. Inferre, inquit, bella finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos non molestos sola Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud, quàm latrocinium
104 nominandum est? † Re. n. vera bellum inferre alicui non licet, nisi ob solam defensionis causam. Non enim offendere aliquem iustum est, l. Iustitia & l. vt vim ff. de Iust. & iur. Idem in lib. 83. quæst. & habetur in can. Dominus 23. q. 2. Iusta bella, inquit, solent diffiniri, quæ vel vlciscuntur iniurias, si gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vel vendicare neglexerit quod a suis improbe factum, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Et ad Bonifacium: Finis Belli est

pax,& securitas. Denique postremo dignissima illa & nunquam obliuiscenda responsio sapientissimi & grauissimi Plutarchi cum his nostris commentis & scriptis: Celebratur, inquit Plutarchus in Politic. vbique gentium Iasonis illa Tessalorum tyrannis sententia, quam vsurpasse in eos solitus traditur, quibus vllam molestiam aut vim intulisset quæ est huiusmodi: Qui magnis in rebus Iustitiæ se cultorē haberi vult, eum ius aliquando in paruis violare necesse esse: Quanquam, respondet Plutarchus, eiusmodi verba e uestigio intelligi possunt præpotentis cuiuspiam esse, cupiditate, & vi, non ratione, & lege res administrare volentis.

Quod autem primæ voces his oppositæ sint, non, mirum, sæpissime † namque regna sunt iusta, & iniusta: a Deo, & nō a Deo; tamen ex parte ipsorum occupantium & inuadentium regna sunt latrocinia & iniusta, & proinde non a Deo; tamen ex parte diuinæ prouidentię, quę vtitur male intentione hominum, & illam ordinat vel ad peccata punienda, vel remuneranda bona opera, vel ad alios bonos fines; regna illa sunt iusta & legitima. Deus enim interdum admirabili ratione prouidentię suę ita quibusdam regna adimit, quibusdam largitur; vt & qui regno cadit, iustissime cadat, nec tamen iuste possideat qui regnum inuadit: daturus etiā ipse suo tempore illius inuasionis iustissimas pœnas; vt diligenter rem hac explicat D. Augustinus lib. de Gratia, & Libero arbitrio cap. 20. & 21. & de quo meminit Card. Bellarm. in Cōtrouers. v. lib. 3. cap. 6. tom. 1. & in 1. lib. de Translat. Imp. Rom. Quę cum ita sint, inquit D. August. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 21. non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorū solis pijs: regnum verò terrenum & pijs, & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet. Et infra: Qui dedit, inquit, Mario, ipse & Cęsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasiano, vel patri, vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo. & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano. & cap. 8. eiusdem lib. 5. A Deo enim, ait, sunt omnium potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates. 105.

Vtrum † vero liceat Christianis Principibus inuocare auxilium infidelium contra alios Christianos; pertractauit Oldra. in cons. 71. & primus ibi ante omnes fuit: vltimi autem, qui 106.

qui hanc exercuerunt quæstionem, fuere Decianus in conſ. 20.lib. 3. & Cacheranus in ſua Diſputatione in fine Deciſ. Pedemont. ille quòd liceat late conſuluit: iſte verò quòd nō liceat, late quoque oſtendere nixus eſt. ſed auctoritates, & rationes, quas Cacheranus profert, non ſtringunt, neque eua cuant, ſed alio medio procedunt: neque Archiepiſ. Florent. quem in ſuam ſententiam adducit, aliquid affirmat, ſed ponit in medio, & omnibus ea de re iudicandi poteſtatem facit, vt ſæpe facere ſolet.
107 † Decianus autem in d. conſ. 20. num. 4. maxime eſt reprehendendus, dum ait pro tuitione rerum ſuarum, & corporis licere vti arte magica, per tex. in l. eorum. C. de malefic. & mathe. prout iure quidem optimo illum reprehendit eruditus & elegans Doctor Claudius Bertazolus ad conſ. crimi. ſui patris 142. lib. 1. Nam ille tex. ait quòd permittuntur innocenter adhibita ſuffragia & remedia humana, hoc eſt preces Sacerdotum, liciti exorciſmi eccleſiæ, de quib. per Iacob. Spereger. in Mal. Malefica. 2. par. q. 2. cap. 6. & 7. pulſatio eris campani, de qua per Io. de Selu. in tract. de Benefic. par. 1. q. 5. num. 93. & alia hoc genus diuina præſidia. Non autem licet vnquam ad magicam artem recurrere, & ad ſuperſtitioſam imprecationem, & in hanc ſententiam Bertazolus multos auctores adducit; cui addo Franc. a Victoria in Relect. 12. de Arte Magica propoſit 2. & 2. vbi probat,
108 † Artem Magicam omni iure diuino. ſ. ciuili, & canonico prohibitam eſſe.

De hac igitur re, quæ in diſceptationem quæſtionemque vocatur, dicendum eſt, prout reſpondet, & firmat Felinus in cap. ad deliberandam num. 5. de Iudæ. & Saracc. hoc modo videlicet. Et in effectu Doctores concludunt, quòd ſic, tribus concurrentibus. Primò quòd non vigeat Bellum cum infidelibus actiue vel paſſiue. Secundò dummodo inuocans iuſte offendat, vel defendat. Tertiò dummodo ſit neceſſitas ineuitabilis. A qua communi Doctorum opinione Decianus, & Cacheranus non diſcedunt. & ita tenendum eſt.
109 † Caueant autem Principes, ne Iure Status callido verſutoque ac maxime iniquo, contra Religionem. ſ. vtantur, niſi de hac iniquitate, vel potius impietate, pœnas dare velint, ſicut Roboan huiuſmodi Iuris Status, vel melius iniuriæ & impietatis auctor & inuentor pœnas dedit, vt videre licet 3. Reg. cap. 12. & 15. & de quo meminit Boterus in lib. 2. de Cauſis

augendi

augendi Ciuitates cap. de Religione, ac etiam in lib. 10. de
Iure Status, vbi exempla adducit. Hactenus multa videor
in medium attulisse, quæ conueniunt iustæ & legitimæ vo-
luntati ac potestati Principis, quæ omnis in ratione po-
sita est.

Atqui emunctæ naris homo obijciet: Qui fieri potest, vt
absoluta Principis potestas, quæ ex libera voluntate impe-
ret, in ratione sita sit? Inquit enim Arist. 3. Polit. cap. 12.
quòd Regnum absolutum est illud, in quo vnus statuit de
omnibus rebus suam voluntatem secutus: nec legem vllam
habet, a qua non possit dissentire, vt etiam Petrus Victorius
ibidem interpretatur. Soli enim Principes, cum omnia vi-
deantur habere a subditis sibi data, vnum precipuum habēt,
nemini alij concessum, vt legibus soluti sint, vt ait Dion. lib.
35. † Sed respondetur, quòd Aristoteles Regnum absolutum 110
tunc approbat, cum vnus ceteris virtute præstet, sitque tam
præstanti virtute, vt reliquorum omnium virtus, & ratio ci-
uilis cum illius virtute, & ratione non sit comparanda; alio-
quin Regnum absolutum non admittit, sed minus iustum,
ac inutile esse censuit, prout re vera statuit in d. cap. 12. post-
quam superius promiserat, se declaraturum, quādo rectum,
& vtile ciuitati sit vnum gubernacula Reipublicæ tractare.
† Abhorruit enim Monarchias Aristoteles, vt perspicuum 111
esse videtur ex iis quæ ipse lib. 3. Polit. cap. 11. scribit, vbi de
vnius, deque optimorum imperio differendo, ita inquit:
Quòd si in multorum imperio, sed qui viri boni omnes sint,
optimorum potestas intelligi debet, & in vnius regia pote-
stas; certe in ciuitatibus magis optanda est optimorum,
quàm regalis potestas, siue cum potestate coniunctum sit,
siue seiunctum imperium &c. Et animaduertit Bartholo-
meus Caualcant. in tract. de Rebuspub. cap. 1. num. 5. Et cō-
sonat Iustinus lib. 1. quando inquit: Principio rerum gen-
tium nationumque imperium penes Reges erat; quos ad fa-
stigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed specta-
ta inter bonos moderatio prouehebat. Et Cic. 2. Offic. cum
dicit: Eadem constituendarum legum causa fuit, quæ Re-
gum; ius enim semper quæsitum est æquabile, nec enim ali-
ter esset ius. id si ab vno iusto & bono viro consequebantur,
eo erant contenti: cum id minus contigeret, leges inuene-
re, quę cum omnibus semper vna eadéque voce loquerétur.

Et Bal.in conf.fub tit.C.fi quis aliq.tefta.prohi. col.9. cũ ait: Iure gentium Reges orti funt ex folo confenfu eligentium, omni folennitate circunfcripta, cum prius fuerint Reges, quàm leges, quando regnabant in puritate prima: & fola Natura fàciebat.l.ex hoc iure.ff.de Iuft.& iur. l.2. in prin.ff. de orig.iur.& in Auẽten.quib.mod.nat. effic.fui. §.1. col.6.
112 & 7. † Neque me latet, quod Card. Bellarm. in lib. de Sum. Pontifice cap.2.& 4. multas rationes, & auctoritates adducit ad probandum, quòd Monarchia fimplex, fiue Regnum fimplici Ariftocratiæ, & Democratiæ præftat: quodque, circunftantiis feclufis, Monarchia fimplex abfolute & fimpliciter excellit. id quod voluit Bal.in auẽten.hoc amplius col.2. verf.item quia.C.de fideicom.pulchre autem Oldra. in conf. 94.col.4.& Ancha.in conf.339. num.1. & 2.Felin. late in c. quæ in ecclefiarum num. 126. de conftitut. & Mart. Nauar. in Relect.c.nouit, num. 16. & 168. de iudic. adducit autem Card.Bellar.textum clarum in lib.8.Ethic.cap.10. vbi Arift. luculenter inquit: Harum autem omnium optima eft Regia (loquitur enim de tribus Reipublicæ generibus) deterrima Democratia cui addiderim ego alium textum in 4. Polit.capit.2. vbi Arift.hoc ipfum repetit hoc modo: Primæ enim (verba facit de poteftate Regia) mutatio deterrima fit, ne-
113 ceffe eft. † Qui tamen textus iudicio meo intelligendi funt fecundum ea, quæ idem Ariftoteles firmauerat ex profeffo in præced.cap.12.lib.3. Polit. quando f. vnus ceteris virtute præftet, & antecellat: reliquorumque omnium virtus non fit cum vnius illius virtute & bonitate comparanda. nam iuxta
114 Marci Aurelij Imp. fententiam, † Princeps qui omnibus dominatur, omnibus etiam virtutibus præditus effe debet; quã fententiam Marc. Aurelius fumpfit ab Arift. 1. Polit. cap.8. quando inquit: Itaque cum oportet qui preeft perfectis atque abfolutis virtutibus, quæ more gignũtur, effe præditum
115 & ornatum. † Vnde Cyrus dixit, vt refert Plutarchus in Apophtheg. Magiftratu dignum non effe quemquam, qui
116 non fit melior fubditis. † Et eft celebre Macronis confiliũ, impiiffimo Caio datum: Tantum debes in ratione viuendi excellere, quanto eminentiorem te fortuna conftituit. Et certe hanc mentem fuiffe Ariftotelis, demonftrari videtur ex his quę immediate ipfe addit tum in d. capit. 10. cum inquit: Quod cum Rex fit, qui fe ipfe eft contentus, quique,

copijs adiumentisque omnibus excellit: qui autem eiusmodi sit; is cum nullo egebit, tum rationem nullam ducet cōmodorum suorum, sed eorum qui ipsius in imperio erunt. nam qui se eum non præstat, eum sorte delectum quendam potius, quàm Regem licet dicere. Tum etiam cum in præd. cap. 2. inquit: Regalis autem potestatis aut solum nomen manet, cum res nulla sit: aut propter magnam præstantiam extat eius potestas, qui vt Rex imperat. & in 3. Polit. cap. 14 ita inquiens: Si igitur fuissent tantum discrepantes alij ab aliis, quantum deos & heroas arbitramur discrepare ab hominibus, statim primùm corpore multam exuberātiam habentes, deinde animo, vt certa foret atque aperta præstantia eorum qui imperant in eos qui parent; perspicuum est, melius futurum, vt semper ijdem hi quidem imperent: hi autē semper pareant. quia autem hoc non facile est obtinere, neque licet, vt ait Scylax, apud Indos Reges tantum antecellere ijs qui parent; manifestum est multis de causis necesse esse, vt cuncti similiter communicent vicissim imperio atque obsequio. Et † in 1. Rhetoricæ cap. 8. Monarchiam sine 117
legibus tyrannidem appellat; quem adduximus in §. seq. num. 5. Id quod voluit Plato in lib. de Regno, vbi hæc verba facit: Quoniam si talis quidam, qualem figurauimus, nobis occurreret, amaretur profecto eius administratio, quę sola omnium rectissima est, conducitque ad bene beateque viuendum. nunc autem postquam non nascitur in ciuitatibus & c. iuxta illud quod de Saule legitur 1. Reg. Videtis quem elegit Dominus, quòd non sit similis ei in omni populo. Et ita etiam intelligere videtur idem Card. Bellar. in 2. Controuers. lib. 1. cap. 3. demonstrat. 7. tom. 1. cum inquit:
† At simplex Monarchia est optimum regimen, quando inueniri potest Princeps bonus, & sapiens, vt patet consensu 118
omnium. Nunc autem ad confirmationem eorum quæ hucusque dicta sunt, accedat, † quòd etsi dominium non fundatur in gratia, aut fide: nec descendit ex iure diuino, sed ex 119
iure gentium, † & proterea infideles etiam sunt veri & supremi Principes suorum regnorum, vt per Mart. Nauar. in 120
Relect. cap. nouit num. 60. 78. & 142. de iudic. † attamen 121
fundatur in libero arbitrio, & ratione, vt docet D. Tho. de Regim. Princ. lib. 3. cap. 9. & nouissime Card. Bellar. in lib. 5. de Sum. Pont. cap. 9.

SVM-

127

SVMMARIVM.

1 Plenitudo potestatis quid importet, & in quo consistat, & num.2.3.19.24. eius definitio num.24.
4 Princeps duplicem habet potestatem, ordinariam, & absolutam.
5 Deus non operatur contra suas leges.
6 Princeps non est supra ius positiuum, in naturali ratione fundatum.
7 Naturalis, & ciuilis æquitatis differentia.
8 Ius honestatis exceptum est ab omni superioritate.
9 Mos mutatur, honestum permanet semper.
10 Honestum quid, & vnde dicatur.
12 Papa est Vicarius Dei in terris, & multa potest, quæ Deus ipse potest.
13 Potestas sub ratione restringenda est.
14 Imperator est Vicarius Dei in temporalibus, mediante populo: Summus autem Pontifex est Vicarius Dei in terris immediate.
15 Plura Doctorum pronunciata pro extollenda Principis potestate quomodo intelligenda sint.
16 In Imperatorem translata est potestas legitima, vt commodius Resp. administraretur, & num.19.
17 Populus Romanus re & effectu vsus est clausula: De plenitudine potestatis.
18 Effectus, non nudum nomen attendi debet.
20 Princeps non debet vti plenitudine potestatis sine causa.
21 Potestate ampla concessa, non censeri concessa quæ illicita sunt.
22 Principi nihil absolutum esse concessum, quomodo intelligendum.
23 Deus absolutam potestatem alteri conferre non potest.
24 Potentia suprema quid sit.
25 Principes omnes qui superiorem non recognoscunt absolutam dicuntur habere potestatem.
26 Ciuitates liberæ supremi Principis potestatem habent.
27 Princeps an, & quando in Iure dispensare possit.
28 Doctores non recte loquuntur, cum inquiunt, Principem dispensare posse circa ius naturale, vel gentium.

Demon-

57 *Demonstratio scientiam : syllogismus Topicus opinionem parit.*
58 *Opinio est extimatio de eo quod potest secus se habere, vel ratione rei, vel ratione medij.*
59 *Opinio non semper recta, nec prædita necessitate est.*
60 *Opinio diuiditur in veram, & falsam.*
61 *Prudentia solam opinionem veram sibi ascifcit.*
62 *Virtus est perfectio eius, cuius est virtus.*
63 *Opinionis quod rectum est appellatur veritas.*
64 *Scientiæ nomen vsurpatur proprie pro omni habitu acquisito per demonstrationem, contradistincto ab habitu acquisito ad actionem, vel effectionem directo.*
65 *Prudentia non est scientia proprie sumpta.*
66 *Prudentia versatur in rebus singularibus, quarum non est scientia, sed sensus.*
67 *Virtutes Rationis, & Mentis dicuntur non quia in ratione, & mente vt in subiecto sint, sed quia earum officium est eis vti.*
68 *Mens est res diuina.*

§. OCTAVVS.

1 RElìquum est, vt ostendamus, absolutam Principis potestatem, recte intellectã, iustam & legitimam esse, prout etiam Doctores plerique eam intellexerunt. Bal. namque in l. imperium q.3.ff.de iurisdict. om. iud. dixit, quod absoluta Principis potestas, est merum Imperium, Imperatori per legem Regiam concessum. & repetit in l. eam quam col.9.C.de fideicom. vbi considerandum est, inquit, quòd iure nostro Populus Romanus omne imperium etiam summum, quod appellatur plenitudo potestatis transtulit in Principem; quem refert, & sequitur Dec. in d.l. imperium q.3.num.6. † Abb. verò in cap. in
2 illa quotidiana, num.2. de elect. inquit, quod absoluta potestas dicitur illa, quæ est supra legem scriptam, seu super legẽ positiuam. idem tradit Rip. in resp. 10. num. 5. sub tit. de elect. per tex. in c. proposuit de concess. præben. & Bald. in auctent. hoc amplius in 2. col. vers. quæro an filij Regis, C de fideicom. vbi Rex, inquit, est lex animata in regno suo, & potest plus quàm lex communis, vel cõsuetudo, & in cons. 241.

num.3. lib. 1. Princeps supra omne ius positiuum est, & in cons.328.num.7.in fi.num. lib.1. Quicquid agitur supra legem, absoluta potestas est; cui plenitudini potestatis nihil resistere dicit in cons.456.num.5.lib.5. nisi duo tantum, ius scilicet diuinum, & immutabile ius naturale & necessarium. Idem repetit Corset. de Potest. Reg. par. 4. num. 4. & Caccialup.in d.l.imperium, num. 35. & tradunt Doctores in c. quæ in ecclesiarum de constitut.in l.1.ff. de coustitut. Princ. & in l.fin. C. si cont. ius, vel vtil. pub. Et hanc absolutam potestatem Principem habere affirmat expresse Bal. in l.9. vers.nota tamen.C.com.rer.alienat. & eam possidere Papã, & Imperatorem tradit in l.2. num. 7. C. de seruit. & aqua. Vnde Alex.in cons.30.num.10.lib.5. Nihil aliud est, inquit, vti plenitudine potestatis, nisi derogare iuri communi seu ordinario. Idem tradit Felin.in c.nonnulli, num.51. de rescrip. Corne.in cons.278. num. 6.lib.3. & Alberic. in hac l. Princeps in fine hoc modo: † Quando autem dicimus, 3
quòd Princeps est supra ius, intelligendum est, hoc esse verum, quia potest illud statuere, mutare, destruere, & exponere, quando expediens est; quod sumpsit a D. Tho. 1.2. q. 96.art.5.in fine. Accedat Fort.Garzi.in l. Gallus. §. & quid si tantum, num. 309. inquit enim: Ex his constat, plenitudinem potestatis referri ad ea quæ sunt humana & positiua; quasi dicamus, Summum Pontificem, vel Imperatorem habere potestatem liberam, non subiectam iuri positiuo. vnde supra leges, a se, vel alijs positas eam potestatem exercere potest; prout dicimus, absolutam esse in Deo potestatem, idest, non subiectam regulis a se ordinatis: sed inter Deum, & eius Vicarium hæc est differentia, quòd Deus, qui omnia potest, nulli subiicitur, cum sit causa & principium omnium: sed Pontifex, vel Imperator subiicitur legibus Dei, idest, rectæ rationi: quia leges sunt superiores, & ab eis sumit ipse potestatem; quam nullo modo potest exercere, nisi secundũ ipsas, idest, secundum rationem. hucusque Fortunius. Et concinit Curt. Iuni. in cons. 1. num. 193. vbi ita inquit:
† Princeps duplicem habet potestatem; quarum altera est or- 4
dinaria, quia ordinarie Princeps legibus viuit: altera verò absoluta, secundum quam omnia iura ciuilia tollere potest, non tamen ea quæ sunt inducta de iure diuino, naturali, vel gentium, & est communis opinio. & de hac duplici pote-

state

state pertracta Bal. in l. 2. C. de seruit. & aqua. ita Curtius: cuius dicto declaratur Bal. in d. l. 2. qui multis doctissimis viris magnum in hac re facessit negotium, cum non respexerint ad Bar. in d. l. imperium, num. 6. & in extrauag. ad Reprim. in ver. Videbitur num. 2: vbi De esse voluntatis est, inquit, quòd sit libera, nec cogi possit necessitate præcisa. l. cum proponas. C. de hære. instit. quę quidem voluntas hoc modo considerata, intelligitur libera a regulis iuris ciuilis, sed semper remanet limitata a regulis gentium. Cui concinit Gregor. Nazian. in orat. 1. contra Iulianum Imp. quando sublime more suo inquit: Velle etenim Imperatoris lex est, non scripta, imperij & potentiæ patrocinio subnixa: & quidem scriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, lege firmior atque valentior. Idem quod Bartolus voluit etiam Bal. in l. 1. in prin. C. de sacrosan. eccle. & in l. si quis maior in prin. C. de transact. Quæ omnia late comprobat Ias. in cons. 105. num. 5. lib. 1. Quinimo Baldus, adductus a Didaco Couar. in definitione Plenitudinis potestatis, quam ille facit in l. 2. C. de seruit. & aqua, prout supra in §. 6. secutus fuit Bartolum, a quo & verba, si recte perpendantur, mutuatus fuit. Prædictis autem addiderim ea quæ de potestate absoluta, & ordinaria seu ordinata tradit ad mentem Theologorũ doctissime quidem, & exacte Reuerendiss. & clariss. Panigarola in octauo tractatu de Passione Domini par. 1. vbi inter cetera ita inquit: Cum Deo potentiam absolutam, qua ipse suis legibus contrauenire posset tribuimus; non propter hoc facimus illum tyrãnum, prout Caluinus impiè blasphemat: nam Tyrannis non consistit in potentia, qua legibus contraueniri potest; sed occurrendo illis ex aduerso actu
5 ipso: † Deus autem contra suas leges operatur nunquam. hæc ille. Accedat Phalaris Tyrannus epist. 62. ita inquiens: Neque alia de causa est nomen meum graue, quàm quòd nõ obtempero legibus. Et Arist. lib. 1. Rhetoricæ cap. 8. vbi ita notabiliter quidem inquit: Monarchia est (vt vel nomen ipsum ostendit) in qua vnus omnium dominus est. hæc ordine quodam seu legibus constituta Regnum: inordinata
6 verò tyrannis appellatur. † Quando etiam dicimus, Principem supra ius positiuum esse, intelligi debet, dummodo ius non sit fundatum in ratione naturali, secundum Felin. in c. ad audientiam 2. num. 10. vers. bene fateor., & tradit

Rip.

Rip. in l. quominus, num. 10. de Flumi. Id quod ante alios dixit Bal. in l. rescripta in vlt. col. vers. quartò quæritur. C. de precib. Imp. offer. in hęc verba: Quando ius quæsitum, naturali æquitate nititur, non potest tolli a Principe, secus si innitatur ex solo rigore iuris ciuilis, vt in re iudicata, & præscriptione; quem referr, & sequitur Dec. in cap. quæ in ecclesiarum, num. 126. de constitut. Quæ quidem naturalis æquitas habetur in l. 1. ff. de pact. † Differentia autem naturalis æquitatis, & ciuilis in l. 1. §. hæc autem actio. ff. si quis testa. lib. iuss. fuer. & in l. bona fides in prin. ff. depos. nam vt inquit Bal. in c. quæ in ecclesiarum, num. 28. non omne quod est æquum, est de iure gentium: quia obligatio ciuilis quandoque est æqua & bona, & tamen non est de iure gentium, item vera sententia, item iudicia, vt not. Inst. de obligat. per totum, & ff. de pact. §. si vnus. §. pactus in fine maioris glo. & ff. de condit. indebi. l. Iulianus. Quòd autem Princeps licet sit supra ius positiuum, non tamen sit supra ius, quod in naturali æquitate fundatum est, tradit etiam Hipp. Marsil. in Pract. Crim. §. sequens num. 39. & in l. 1. §. fin. num. 42. cum seq. ff. de quæst. Craue. de Antiq. temp. par. 1. in prin. num. 38. & 46. & in cons. 241. num. 13. Menochi. de Arbitr. Iud. quæst. lib. 1. q. 13. num. 3. & seq. & nouissime Decian. in tract. crim. lib. 2. tit. de constit. Princ. cap. 30. num. 8. cum seq. Et consonat prædictis l. 2. C. ne fiscus rem quam vend. euinc. vbi Honori. & Theod. Imp. ita inquiunt: Retractare fiscum quod semel vendidit, æquitatis honestatisque ratio non patitur; per quem tex. Bal. in l. quod ex liberta. C. de oper. libert. dixit, † quòd ius honestatis exceptum est ab omni superioritate, & in cons. 171. num. 1. lib. 1. quòd honestas ligat etiam Principem. Idem affirmat Tiraq. in tract. de Priuileg. pie cau. priuil. 118. Si id honestum est inquiens haud dubie necessario obseruandum. Quibus accedat Alex. Alensis in 1. par. Sum. q. 27. art. 1. in resp. ad vlt. † vbi Mos, inquit, mutatur: honestum autem permanet semper, quia simpliciter approbandum est. Et quoniam in hac materia absolutæ Principis potestatis honesti consideratio magni est momēti atque ponderis; sciendum est, † Honestum esse virtutis decorem, quod Cicero in lib. de Officiis ita definit: Bonum honestum est illud, quod sua vi attrahit, & sua dignitate nos allicit ad sui amorem. Honestum namque dicitur, quòd in

se ipso

se ipso habet vnde desideretur; vtile vero non habet in se vn
de expetatur, sed expetitur solùm sicut ducens ad alterum,
seu propter aliquem finem consequendum. Et dicitur ho-
nestum, quasi honoris status, id est, bonum per se diligibi-
le; aut simpliciter, sicut Deus, aut secundum quid, vt sunt
11 virtutes, quia in se habent vnde desiderentur. vide D. Tho.
in 1.par.q.5.art.6. His autem finitimi sunt Theod. & Valen
tian. Impp. in l. digna vox. C. de legib. Digna vox est, in-
quiunt, maiestate regnãtis, legibus alligatum se Principem
profiteri, quam in §. 3. in medium adduximus. & Paulus in
l. ex imperfecto.ff.de leg.3. Ex imperfecto, inquit, testamen
to legata & fideicommissa Imperatorem capere, verecũdum
est: decet enim tantæ maiestatis, eas seruare leges, quibus
ipse solutus esse videtur. Et Alex. Imp. in l. ex imperfecto
C.de testam. Ex imperfecto testamento nec Imperatorem
vendicare posse, sæpe constitutum est. licet enim lex Impe-
rij solennibus iuris Imperatorem soluerit; nihil tamen tam
proprium Imperij est, quàm legibus viuere. Elegantius
verò idẽ Paulus in l. filius. ff. de condit. institut. Nam quæ
facta, inquit, lædunt pietatem, æstimationem, verecundiam
nostram, nec facere nos posse credendum est; quem adduxi-
mus in §.3.in prin. Hæc & consimilia iura diuina Principi-
bus nostris inculcanda essent potius, quàm illa adulatorum
vox: Quod Principi placuit, legis habet vigorem, vt inquit
eruditissimus, & elegans Mynsingerius in §.vlt.Instit.quib.
mod.testam.infir. Nunc verò animaduertendum est, quòd
cum Doctores, & iura quæ ipsi adducunt, ostendere volunt
absolutam Principis potestatem, loquuntur tam de Sum.
Pontifice, quàm de Imperatore, vt videre licet apud Dec. in
c.1.in 1.lect. num.49. cum seq. de constitut. post Innoc. in
c.cum ad monasterium num. 3. de sta. monac. & post alios
passim, & in Sum. Syluest. in §. Papa num.12.& seq. ac etiam
per Spec. in tit. de lega. §. Nunc ostendendum num. 42. cum
plurib. seq. & per Mart. Nauar. in Apolog. de Reddit. q. 3.
num.6. vers. sexto idem probatur, & est glo. in c. quanto de
translat. Vnde Felin. in c. cum non liceat num. 22. de præ-
12 sumpt. inquit: Papatus, & Imperium fraternizant. † Nam
etsi Sum. Pontifex vicem Dei gerat in terris, & possit mul-
ta, quæ Deus ipse potest, claue non errante, extrauag. Vnam
sanctam de maio. & obedi. can. maneat 24. q. 1. glo. 2. in c.

quanto de iureiur. Ab.in c.venerabilem num.18.de elect. & in c.fin.num.2.de confir.vtil.vel inuti. Dec.in c. 1. in 1. lect. num.21.de constitut.& per Ias. in præd.consf. 145.num. 3. lib.1.ac etiam per Craue. in consf.241. sub num.20. egregie autem per Decian.in consf.8.num.19. cum plurib.seq. lib. 1. † Restringenda quippe sub ratione potestas est, vt inquit 13
D. Gregorius ad Gudiscalum Ducem in lib. 8. Registri Indict.3.cap. 12. Hanc tamen vicariam operam Imperator quoque Deo impendit in temporalibus,vt diximus in §. præced. † Quod tamen intelligendum est mediante populo, 14
non autem immediate sicut Sum. Pontifex, Sot. de Iust. & iur. lib.1. q. 1. art.3. Ratio autem diuersitatis esse videtur, quia potestas regia naturali iure in populo deriuatur ad Regem siue Imperatorem;id quod optime declarat Card. Bellar.in Controuers.5.lib.3.cap.6.tom.1. Potestas autem Papalis siue Pontificia supra naturam est, & diuino iure in persona vnica non in communitate primò est. quam rationem adducit Caiet. in 2. Apolog. de Comparat. auctoritatis Papæ,& Concilij cap.11. vers.tertio. tradit late Didac. Couar. in lib.Pract.quæst.cap.1.num.2.& in reg. Peccatum in 2.par. §.9. num. 6. ac etiam Mart. Nauar.in c. nouit num. 89. & 144. de iudic. egregie autem Car. Bellar. in Controuers. 1. lib.3.cap.9.tom.1. ac etiam in præd.cap.6. † Iuxta verò su- 15
perius tradita intelligēda sunt annotata in §. præced. num. 2.3. & 4. Princeps.s.factum pro infecto habere potest, rerūque naturas mutare, & de nihilo aliquid facere. Item non licet disputare de potestate Principis, nec ei dici: Cur ita facis? Et omnia potest ex certa scientia, extra ius, & contra ius,& alia huiusmodi, quæ passim Doctores adducunt, licet male,vt dixi in proœmio: & extorquent,auro,& argento quandoque inseruientes,& quæ in iure positiuo locum sibi vendicare,tradit Craue. in tract. de Antiq. temp. par. 1. in prin.num.45.& in consf.266.& differit in consf.241. num. 1,2,3.& 20. & Rolan in consf.100.num.55. cum plurib. seq. lib.4. Et ex prædictis apparet quomodo intelligenda sint ea quæ tradit Rebuffus in Praxi Benefic.in reg. de Non toll. iur.quæs. glo.6. num. 34. quando inquit: Ista absoluta potestas,est potestas,quæ verius diabolica dici potest;procedit enim a potestate iniuriosa,& est contra legem diuinam, naturalem,ciuilem, & canonicam. ideo qui illa vtuntur ineffre-

frenata dominatione, nec non consultores eorum diabolici sunt; quos, nisi resipuerint, possidebit infernus, vbi erit fletus, & stridor dentium. intelligite qui consulitis Principibus placentia: & vobis in futurum plurima horrenda præparatis. Loquitur enim Rebuffus secundum improbatam illorum opinionem, qui voluerunt, Principem de potestate absoluta ius tertij tollere posse etiam sine causa: non autem quando Princeps iuste vtitur potestate absoluta supra ius positiuum. Quod quidem magis apparet ex ijs quæ Rebuf. dicit in Concord.Franc.tit. de Reg.ad Præl.in ver. Plenitudine, vbi affirmat, quòd clausula De plenitudine potestatis solet apponi in condendis legibus, ac in arduis; quæ operatur, vt videatur Principem supra ius dispensare, c.proposuit de conceff.præben.& clem. pastoralis de re iud. Neque prædictis refragantur tradita per Alcia. in resp. 209. num.7. cũ inquit, quòd plenitudo potestatis nihil aliud est, quàm violentia, licet Doctores modestiore vocabulo eam sic appellent. & ideo Populus Romanus nunquam tali clausula est vsus: nec in iure ciuili reperitur secundum Bal. de Pace Con
16 stan.in ver. Libellarie. † Et in Imperatorem translata est potestas legitima & ordinaria, vt commodius Respublica administraretur. Nam Alciatus vim dictæ clausulæ minime percepisse videtur. Clausula namque De plenitudine potestatis intelligenda est de plenitudine potestatis bonæ & laudabilis, non vituperabilis vel tyrannicæ: nam Imperator nõ dicitur posse, nisi quod de iure potest, vt inquit Bal. in cons. 345. num. 1. lib. 1. Quod autem dicta clausula ad amussim non reperiatur scripta in iure ciuili, neque expresse illa fuerit vsus Populus Romanus, prout inquit Alcia. etiam in tract.de Præsumpt.reg.3 præs.8. in fine, & ante eum Ias. in l. quanquam in 1. not. C. de testa. mili. & in cons. 145. sub num.3. lib.1. Rip. in rubr. de constitut.& Fernand. Vasq. in lib.1. Controuers. Illustr. cap.26. num.24. hoc nihil refert.
17 † Sufficit enim id ipsum per alia verba satis nobis significa-
18 tum, atque perspicuum factum fuisse: † Effectus enim, non nudum nomen attendi debet. l.2. §.si sunt sui. ff. ad Tertull. glo.in l. filius familias. §. 1. vers. effectu. ff. quod cum eo. & omne dicitur tale, quale ex effectu perpẽditur. l.sed etsi possessori. §. 1. ff. de iureiur. & per Bal. in cons.344. lib.1. late autem per Craue. in cons. 105. num.2. ac deinceps. non enim

forma verborum, sed effectus rei animi consilium detegit, vt ait Bal. in d. ver. Libellarie; quem refert, & approbat Euerard. in loco a Plenitudine potestatis, & Restaurus Castal. de Imperatore q. 100. casu 7. † Quod autem Alciatus inquit, in Imperatorem translatam esse legitimam potestatem, per l. 1. ff. de constitut. Princ. Et ordinariam, per l. 2. §. nouissime ff. de orig. iur. & l. 1. ff. de offic. Præfec. non propterea sequitur per iura vtcunque per eum adducta, quin etiam plenitudo potestatis, vti legitima, in Principem trãslata fuerit, præsertim verò secundum nostram considerationem, & iuxta intellectum, quem d. l. 1. ff. de constitut. Princ. accomodauimus. immo verò probatur hoc ipsum dubio procul. Præterea quid sibi vult illud quod sæpe legitur apud Ciceronem, Liuium, & alios Romanæ antiquitatis scriptores: Senatus censuit: Populus statuit. quid legum ipsa abrogatio, quam Populus Romanus ad libitum faciebat. quid eiusdem Populi in subiectos delinquentes vitæ necisque potestas. quæ omnia plenitudinem potestatis & quidem legitimæ significare perspicuum est, ex ijs præsertim quæ superius adduxi, atque demonstraui, & quæ omnia in Imperatorem translata fuisse fatendum est ex d. l. 1. ff. de constit. Princ. & ostendit Iulianus in d. l. 2. ff. de orig. iur. † Quibus addiderim, quòd Princeps non debet vti plenitudine potestatis sine causa, vt dixit Innoc. in c. innotuit num. 5. de elect. quem refert, & sequitur Ias. in cons. 145. num. 3. lib. 1. præclare autem Andre. de Iser. in cap. 1. §. similiter num. 29. de Capit. qui cur. vend. & in tit. quæ sint regal. in ver. flumina num. 7. & in ver. Vectigalia num. 16. vbi videndum est, Afflict. in d. §. similiter, num. 15. & Bosii. tit. de Principe num. 192. cum aliis adductis per Marc. Mant. in lib. 2. Dialog. cap. 22. in prin. † Et confert, quòd potestate quamuis ampla & absoluta concessa, non censeri cõcessa quæ illicita sunt, Menochi. de Arbitr. Iud. quest. lib. 1. q. 6. num. 77. † Neque prædictis obstat, quòd nihil absolutum cuiquam etiam Principi iure sit permissum, vt inquit Didac. Couar. in lib. 3. Variar. Resolut. c. 6. num. 8. adductus in §. 6. Nam hoc verum est, si consideremus absolutam ipsam potentiam vere ac proprie (siue plenitudinem potestatis simpliciter vniuersalem, non restrictam nec determinatam, vt docet D. Tho. in 3. senten. distin. 37. art. 4. ad Card. Hannibal.) quæ in Dei sola est potentia, vt inquit

Margin numbers: 19 (at "Quod autem Alciatus"), 20 (at "Quibus addiderim"), 21 (at "Et confert"), 22 (at "Neque prædictis")

quit Marsilius Ficinius in Commen. in Conui. Platonis
23 orat.3.cap.2. † Quinimo Deus ipse absolutam potentiam alteri conferre non potest: non enim potest facere alium Deum æqualem sibi: cum Deus sit infinitus: & duæ res infinitę esse non possunt, vt demonstrat Arist. in 3. Physic. & tradunt Theologi in 1. sent. distin. 43. Vnde D. Greg. hom. 4. super Miss. est & dixit: Deus quamuis omnipotens, non tamen potuit facere creaturam ei æqualem.
24 Quæ quidem † Suprema Potentia, est auctoritas absoluta, & perpetua in Rempublicam, propter publicum bonum. vt constat ex his quæ in §. præced. & in hoc §. præcipue diximus, ac etiam in §. 1. num. 14. & in §. 7. ante finem. Et per consequentiam eorum quæ huc vsque dicta sunt fateri oportet, quòd suprema ista Principis potentia sub ratione est. Sequitur igitur, vt verum sit id quod Doctores inquiunt;
25 nempe † quòd non tantum Imperator, & Rex, sed etiam alij Principes, qui superiorem non recognoscunt, absolutam hãc potentiam habeant (licet hoc ualde controuersum esse videatur inter eos, ex ijs quę tradit Felin. in c. cum non liceat num. 13. cum seq. de prescri.) Bar. in l. infamem num. 14. de pub. iudic. & in l. cõtinuus. §. cum quis num. 5. ff. de ver. oblig. & est decisio Pau. de Cast. in cons. 34. incip. Super primo dubio, quem Doctores passim adducunt. Ruin. cons. 24. num. 17. & cons. 37. num. 5. lib. 1. ac etiam cons. 200. num. 2. lib. 2. tradunt Ab. & Canonistę in cap. cum Bertoldus de re iud. & in c. per uenerabilem qui fil. sint legi. late Rip. in rubr. de constitut. num. 7. & 8. Cagno. in proœm. ff. num. 12. Craue. in cons. 135. num. 2. Natta cons. 638. num. 4. lib. 3. & cons. 661. num. 18. lib. 4. Rolan. cons. 91. num. 3. ac deinceps lib. 2. Alcia. de Præsum. reg. 3. presf. 8. num. 8. Curt. Iuni. cons. 61. num. 9. vbi communem dicit Socin. Iuni. cons. 98. num. 1. lib. 3. vbi magis communem enunciat. & Rolan. cons. 1. num. 50. lib. 3. cum alijs late congestis per Ant. Gab. tit. de acq. poss. conclus. 2. num. 10. & per Craue. de Antiq. temp. par. 4. sect. Materia ista num. 72. cum seq. vbi demonstrat etiam, quòd
26 ista communis opinio vera est. † Idem dicunt de Ciuitatibus, quę liberæ sunt; quòd. s. iura absoluti Principis habeãt, per tex. in l. prohiberi. §. plane cum seq. ff. quod vi, aut clam. Bar. in d. l. infamem num. 14. Dec. cons. 534. num. 2. vbi de communi opinione attestatur. Ant. Gab. vbi supra in fine-

nu.

nu. cum aliis late adductis in vtroque casu per Andre. Gail. in lib. 2. Pract. obseruat. cap. 57. num. 7. & in lib. 1. de Pace pub. num. 10. & 11. & videndus est Caccialup. in repetit. l. imperium num. 34. ff. de iurisd. om. iud. † Sequitur etiã quòd 27
Princeps in iure dispensare possit; distinguendo tamen secundum Doctores hoc modo: Aut Princeps vult dispensare in iure naturali sine iusta causa, & non potest, Didac. Couar. in 2. par. Epit. Decret. cap. 6. §. 9. num. 8. Aut in iure positiuo, & potest etiam sine causa vt per Felin. in c. ad audientiã 2. num. 10. de rescri. † Licet Doctores non recte loquantur, 28
cum inquiunt, Principem dispensare posse in iure naturali; quod quidem immutabile est. eorum tamen opinio procedere potest, si dispensatio improprie sumatur, hoc est, si ad interpretationem vel declarationem referatur, vt monuit Couar. in d. §. 9. num. 2. & seq. Paris. in cons. 68. num. 194. lib. 4. Postill. ad Alex. in cons. 1. num. 3. lib. 2. vbi inquit, quod cautius & verius dicunt Theologi interpretari seu declarari in 3. senten. distin. 37. & tradit Franciscus a Victoria in Relectione quarta de Potest. Papæ, & Concilij proposit. 1. quẽ adibis, si rem ad viuum resecare desideras. Et ante omnes D. Tho. quodlib. 4. art. 13. & quodlib. 9. art. 15. vbi tradit, huiusmodi dispensationem recte factam, declarationem effectu ipso iudicandam esse. & declarat late Mart. Nauar. in Apolog. de Redit. Eccles. q. 3. Monit. 3. num. 4. Id quod ad interpretationem quæ ex æquitate fit minime trahendũ est: † non enim iustum naturale vllam exposcit, immo nec admittit æquitatem, & ratio est illa, quam affert Albert. Bologne. in lib. de Lege, Iure, & Aequitate capit. 31. num. 5. quia 29
scilicet si etiam in iuris naturalis interpretatione adhibendam esse æquitatem concederemus, cogeremur ea ratione fateri, peccare Naturam, atque humana emendatione indigere. at hoc fieri non potest: siquidem, vt docet Auerroes in lib. 12. Metaphi. a Deo summo & optimo tota natura dirigitur; quem peccare, nec velle, nec posse compertissimum est. Quod ipsum ea quoque ratione confirmatur, † quia si 30
æquum & bonum præter legem semper est: lex vero naturalis ea plane omnia tacito monitu nobis præcipit, atque suggerit, quæ ad pie sancteque & honeste viuendum necessaria sunt; consequens certe est, hoc quod æquum & bonum appellamus, nullo modo posse ad legem naturalẽ accomodari.

Vnde

Vnde Paulus in l.pen.ff.de Iust.& iur.ius naturale id esse dicit,quod semper æquum ac bonum est.

Hic autem suboritur dubium,quod facit Sotus de Iust. & 31 iur.lib.3.q.1.art.3. † Vtrum in ius gentium cadat dispensatio, an verò perinde atque ius naturale sit indispensabile. Cuius quidem dubij resolutio pendet ab illa omnium difficillima 32 quæstione, † Vtrum.s.ius gentium sub iure ciuili, an potius sub iure naturali contineatur. Id quod nedum Iurisperitorum, verùm etiam Theologorum torsit ingenia, vt videre licet apud Albert. Bologne. in d. lib. de lege iur. & æquit. cap.27.& nouissime apud Card.Bellar.in Appendice ad libros de Sum. Pont.tit. de Exemptione Clericorũ cap. 2. Dicendum est igitur pro huius rei dilucidatione vna cum 33 Card.Bellar.in d.loco † (cum enim non agitur de iure humano,determinatio non spectat ad Iurisperitos, vel saltem non ad illos solos pertinet,vt recte quidem ad rem nostram inquit doctissimus Fräciscus a Victoria in Relectione quin 34 ta de Indis) † quòd Tres sunt gradus naturalium præceptorum, primus est eorum quæ ita perspicue sunt impressa in cordibus hominum, vt solo lumine rationis sine vlla disciplina vel arte, immo sine nouo discursu rationis iudicentur ab omnibus iusta. talia sunt quedam prima principia,vt bonum esse appetendum, malum fugiendum: conseruandam vitam cibo,& potu: propagandam, & educandam sobolem ad conseruandum genus humanum: Deum esse colendum: non esse faciendum alteri quod tibi non vis fieri. hæc maxime sunt præcepta iuris naturalis. Secundus gradus est eorum præceptorum, quæ deducuntur ex illis principijs tãquam conclusiones proximæ, & quasi naturaliter fluentes, per facilem, euidentem, & necessariam consequentiam; vt non sit opus vel disciplina,sed simplici discursu,qualem omnes habere possunt. talia sunt omnia præcepta Decalogi. nam ex illo principio in corde omnium impresso: Deum esse colendum, sequitur continuo, non esse colenda Idola, neque esse peierandum. ex illo altero principio: Quod tibi nõ vis fieri, alteri ne feceris, sequitur non esse occidendum, non esse mæchandum, non esse furandum. Et sane aliqua huius generis præcepta aliquando ob nimiam hominum excecationem deletã sunt de cordibus hominum. sed quamuis huiusmodi præcepta nonnullis ignorarentur, vere tamen &

pro-

proprie ad ius diuinum naturale pertinent. † Idcirco in 35
præcepto Decalogi, quia sunt proprie iuris naturalis, nulla cadere potest dispensatio. Et certe sicut ea quæ deducuntur per necessariam consequentiam ex articulis fidei, pertinent ad fidem, quia non possunt negari, quin articuli ipsi negentur; ita quæ deducuntur per necessariam consequentiam ex primis principiis iuris naturalis, pertinent etiam ad ius naturale, quia non possunt destrui, quin destruatur natura. Tertius gradus præceptorum naturalium est eorum, quæ deducuntur quidem ex principijs iuris naturæ, sed per consequentiam non omnino euidentem; & ideo egent humana constitutione. Et hęc sunt quæ Theologi proprie referunt ad ius gentium: & ea distinguuntur a iure ciuili; quòd ius ciuile non deducatur ex iure naturæ per modum conclusionis, deductæ ex principijs, sed per modum determinationis eorum quæ generatim præcipiuntur a iure naturæ. Quæ doctrina est S. Thomæ in 1.2.q.95.art.2.& 4. nam in d.art.4.ad primum scribit, † ius gentium est aliquo mo- 36
do naturale, & aliquo modo positiuum; ac per hoc est medium inter ius naturale purum, & ius ciuile: † ius enim na- 37
turale purum est illud quod nullo modo pendet ex humana constitutione: ius ciuile autem quod ex sola hominum constitutione pendet, & ideo pure positiuum dici potest: ius verò gentium partim est naturale, partim positiuum, † quia 38
pendet quidem ab humana constitutione, idest, a consensu omnium gentium, sed non pendet ab auctoritate Principis, vel Magistratus particularis. † Ex quo sequitur, vt Card. 39
Bellar. inquit, vt ea quæ sunt de iure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, ideo prohibeantur, quia sunt mala: cõtra autem quæ sunt de iure ciuili, quia sunt pure positiua, ideo sint mala, quia prohibentur. Rursus sequitur, vt ea quæ sunt de iure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, non possint a Principibus, vel Magistratibus abrogari. Vnde doctissimus Natta in lib. 7. de Principum Doctrina ius gentium supra Principatum esse, egregie quidem tradidit. † Et 40
ex his apparere potest, quòd in iure gentium non cadit dispensatio. Diximus supra, quod si Princeps in iure positiuo dispenset nulla causa subsistente, eius relaxatio tenet & valet. Et ratio est illa, quam Doctores post Innoc. in cap. cum ad monasterium de statu monac. & post glo. in l. relega-

ti.ff.de pœn.passim assignant; nempe voluntas eius, vt late per Didac.Couar.in præd.§.9. num.20. Huic tamen rationi refragari videtur Car. Contarenus de Potestate Pontificis super Compositionib. vbi ita inquit: Non igitur pro arbitrio constituat leges Pontifex: non pro arbitrio dispenset, sed sequatur regulam rationis naturalis, regulam diuinorum præceptorum, regulam caritatis, quæ in Deum omnia dirigit, & ad bonum commune, quod est maxime diuinum, ad bonum tandem proximi cuiusque secundum Deũ.
41 † Nec putent, addit, hi Iurisperiti, ius positiuum esse arbitrarium, sed dependere a iure naturali: nihilque aliud esse ius positiuum, quàm determinationem quandam iuris naturalis, seu diuinorum præceptorum, ad tempus, ad locos, ad personas, statumque rerum; quæ prudenter considerata efficiunt, vt constitui lex debeat, & in diuersis prouincijs leges etiam sint constituendæ diuersæ: itemque pro mutatione temporis, & rerum status leges debeant abrogari. Similiter, inquit, in dispensatione in legibus voluntas non debet esse regula, sed qualitas illius personæ, occasio, mutatio rerum, & temporum; quibus prudenter consideratis, ratione illa naturali, Dei gratia, caritate, quæ maxima debet esse in animo Pontificis; Pontifex recte dispenset in lege scripta;
42 † sic Aristoteles inquit In Ethic. lib.5. cap.10. quòd æquum naturale est melius iusto legitimo: & quòd vt in paucioribus facit contra iustum legitimum; hæc est eius natura (id quod tu intelliges prout declarat Albert.Bolog.in lib. de lege Iur. & Aequit.cap. 31. num.1.) non autem est ius voluntarium,
43 † vt perhibent hi Iurisperiti, quoniam radices veræ doctrinæ, & Christianę, & Philosophiæ ignorant. ita Contarenus.
44 † Verùm enimuero si res diligenter consideretur, dicendum est, Contarenum de Dispẽsatione recte locutum, vt videre licet per D.Tho.1.2.q.96.art.5. & Iurisperitos minime errasse. non enim Iurisperiti affirmant, voluntatem in dispensatione in legibus regulam esse debere, sed rationem, quam in voluntate esse affirmant, vt late ostendimus in §.præced. Plures enim causæ dispensandi Iurisperitis minime incognitę, habentur in 1.q.7. vbique, quas distincte ponit Sum. Syluestr.in §. Dispensatio cum alijs de quibus ibidem num.3.& docet Pet.de Ancha.in repetit. cap.1.num.2. in 2.opposit.de constitut. Et Archidia.in can. requiritis.§.

M nisi

nisi rigor d. q. 7. idem quod Contarenus de dispensatione tradidit. Præterea quia Iurisperiti astruunt, Principem dispensando in lege humana absque causa & regula rationis peccare quo ad Deum seu in foro conscientię; quam tamen licentiam peccandi Principem minime habere generatim dixit Bal. in l. 1. in 3. lect. de constit. Princ. Bene verum est, quòd Doctores inquiunt, Principem dispensare posse in lege humana ad libitum ex voluntate sua etiam sine iusta causa, hoc est, dispensationem ipsam valere ipso iure, vt inquit Mart. Nauar. in suo Manua. Confess. prælud. 9. num. 11. Et fuit dictum Innocentij in c. quoad monasterium de statu. Monac. quem declarat Ab. in cap. de multa num. 9. de præben. hoc modo: Ex prędictis infero (dixerat enim, † quòd 45
Dispensatio est iuris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo qui ius habet dispensandi; quam definitionem tradidit glo. in d. §. nisi rigor) contra theoricam Innoc. in c. cum ad monasterium de statu regu. vbi dicit, Papam posse supra ius positiuum dispensare ex sola voluntate. nam puto, quòd licet illud procedat quoad Ecclesiam militantem, quia nulli liceat de suo iudicio iudicare; secus tamē puto quoad Deum, nam non debet sine causa relaxare ius fundatum super bono publico, cum teneatur ex officio pascere oues suas, & facere sicut bonus dispēsator, Luc. cap. 10. ita Abbas. qui hoc ipsum etiam declarat in cap. per venerabilem num. 4. qui fil. sint legit. & in cap. quæ in ecclesiarum num. 17. de constitut. & in cap. ad hæc num. 4. de præben. cui adde can. cuncta per Mundum 9. q. 3. Et fuit assertio Caietani in opusc. de Auct. Papæ, & Concilij cap. 12. in fine.
† Princeps igitur licet male faciat, & peccet quoad Deum 46
elargiendo dispensationes sine iusta causa, actus tamen ex eo secutus, validus est, & tenet, vt late etiam ostendit Caietanus in com. D. Tho. in 1. 2. q. 96. art. 5. in vlt. dub. Alio etiā modo declarat Innocentium Fort. Garzias in l. Gallus. §. & quid si tantum num. 298. ff. de lib. & posthu. inquit enim: Sed Innocentius intelligit, quòd tacite subsit causa; idque ibidem se ostendere profitetur Garzi. num. 302. Non tamen inficias ibo, Contarenum recte locutum fuisse, cum simpliciter dixit: Ius positiuum non esse arbitrarium seu voluntarium, vt Iurisperiti putant. Nam re vera ita Iurisperiti passim asserere videntur. & ostendunt etiam illorum enun-

cia-

ciationes,quas in præced.§.in prin. annotauimus, & in hoc §.num.6. & 15.& in §.6.num.5.

Et ne hoc silentio prætereundum mihi videtur, quòd etsi causa iusta præsumi videatur in Principe, etiam in his super quibus Princeps libere disponere non potest, & communis videtur opinio, prout attestatur Ias. in l. si testamentum in prin.C.de testa.Corne.in cons.60.num.21.lib.2. Ant.Gab. tit.de Iur.quæs.conclus.3.num.4. vers. contrariam in principali conclusione,& cumulat late Fernan.Vasq.in lib.1. Con-
47 trouers. Illustr.cap.25. num. 17. † Attamen contraria opinio, quod scilicet iusta causa non præsumatur in Principe, verior est, & melioribus rationibus fundata, & cui meritò inhærendum est. Si enim iusta causa presumeretur in Principe,sequeretur, quod per indirectum ius alteri quæsitũ etiam sine iusta causa tolleretur,cum possibile sit, causam præsumptam in Principe, vel ab eo expressam in veritate minime subesse, prout recte quidem inquit Felin. in c. quæ in ecclesiarum num.89.vers.in quo corrolario de constitut. vbi affirmat,quòd licet contraria opinio auctoritatibus Doctorum fundata sit, non tamen in iure probatur, & approbat constanter rationem prædictam Dec.inibi.num.129. & Rip. in c.1. num. 7. de rescrip. vbi eadem ratione adductus inquit: Non sufficit expressam esse causam,sed necesse est,quod probetur,illam causam esse veram. Et ad dictam rationem minime responderi posse affirmat Bossi. tit. de Principe num. 189. Et veram esse ostendit Craue.de Antiq. temp. par. 1. in prin.num.20.vsque ad num.35.vbi rationes latius videri poterunt, & in cons. 135. sub num. 42. ac etiam in cons.171. num. 11. Et pulchre Fortu. Garzi. in d. §. & quid si tantum num.302.late Postil.ad Alex.in cons.2.num.19.in fin. num. lib. 1. & latissime Franc. Sarment. in lib. 1. select. Interpret. cap.8. quem tu videbis. Idcirco tenenda,& amplectenda est
48 isthæc opinio. † Non enim ex multitudine auctorum, sed ex ratione ius constituendum est l.1.§. sed neque. C. de vet. iur.enucle.& glo.not.in c.1.de iis quæ fiunt a par.cap.inquit, Maior pars est illa,quæ maiori ratione nititur. Et Dominus Exod.23. Nec in iudicio plurimorum,inquit,acquiesces sententiæ,vt a vero deuies,ponit Rip.in rubr.de constitut.num. 17.in fi.num.& pulchre per Pinel. & addit. ad eum in l. 2. in 2.par.cap.4.num.43.C.de rescind.vend.Et iustius,& æquius

est, illi sententiæ inhærere, quæ melioribus rationibus fulcitur, etiam si Imperator sit in opinione contraria, vt dixit Ang. in cons. 170. per l. Aemilius. ff. de minor. quem refert Natta in cons. 120. num. 1. lib. 1. Et non solùm vnius, aut alterius doctoris, sed communis maiorum sententia, iampridem recepta, deseri debet, vbi meliori ratione conuincitur; id quod Iudex acutissimi iudicij perspiciet, vt Inquit Ioan. Andre. ab omnibus approbatus in c. 1. de constitut. vbi Ab. num. 15. quibus addo Plinium secundum, adductū a Panor. in c. ecclesia vestra. 2. de elect. in vlt. not. inquit enim, quòd in consilijs non debent solùm numerari personæ, sed ponderari sententiæ: cum nihil sit tam inæquale, quàm vbi impar est prudentia, sit par ius, cum late, & signanter congestis per Andre. ab Exea in c. cum omnes num. 287 de constitut. vbi videndum est. & etiam atque etiam adeundus est Lancel. Polit. in repet. l. filium, quem habentem num. 150. & 151. C. famil. ercifcun. Quibus concinit quod perbelle dixit homo ille nouus, qui amabili quadam violentia Philosophiam è Grecia in latium migrare coegit, vt secum in ocio Romæ degeret: Opinionum commenta delet dies: naturæ iudicia confirmat. Et quòd opinio communis non sit attendenda, si opinio paucorum melioribus & solidis fundamentis sit munita vltra superius adducta tradit egregie Curt. Iuni. in cons. 63. num. 3. vbi communem dicit, late Plaut. in Rubr. de ver. oblig. lib. 1. cap. 1. num. 7. vbi communem quoque fatetur. & Ant. Gabr. tit. de Senten. conclus. 7. num. 28. 29. & 30. Accedat autem prædictis doctissimus, & consumatissimus, Mart. Nauar. in suo Manua. Confess. cap. 27. num. 286. vbi ita inquit: Non videtur vna opinio appellanda communis ad effectum præiudicandi alteri, eo solo, quòd plures eam sequantur, tanquam orces aliæ alias, quæ præcedunt, sine iudicio sequentes. communiorem ad hoc existimarem illam, quam sex, vel septem classici, rem ex professo tractantes, asserent, quàm probatam a quinquaginta sola fere auctoritate priorum ductis. quin & arbitror, vtramque ad hoc posse dici communem, quando vtraque habet octo, vel decem assertores graues, cum iudicio eam delegentes. quo fit, vt nō sit multum laudanda diligentia quorundam recentiorum, inquirentium, vtrum teneant plures: doctrina enim præfati Ioan. Andre. in c. 1. de constitut. de sequenda comuni, intel-

telligenda videtur, cum pauci respectu aliorum teneant cõtrarium. ita Nauarrus; qui idem repetit in Comment. de Vsuris num.103.in fi. nu. cui addo Rolan. late in cons. 41. num.34.lib.4. Hier.Gabriel.in cons.100. num.24. & in cõs. 101.num.11.lib.2.& late Menochi de Præsumpti.lib.2.præs. 71.num.39.& seq. quicquid inferciens verba dicat Coratius in tract.de Com.opin.lib.1.tit.4. Vt enim ait Cicero de Natura Deorum,non tam auctoritas in disputando, quàm rationis monumenta quærenda sunt. nocet verò plerunq; his qui dicere volunt auctoritas eorum, a quibus instituuntur: desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo,quem probant,iudicatum vident. vnde probare non soleo id quod de Pythagoreis accepimus; quos ferũt, si quid affirmarent in disputando,cum quæreretur, quare ita esset; respondere solitos: Ipse dixit: ipse autem erat Pythagoras. tantùm opinio præiudicata potuit, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. hucusque Cicero. Inde Dinon Tartarentinorum Dux, vir bello præclarus, cum preco dixisset: Hæc sententia suffragia habet plura, subiecit: Hæc autẽ meliora. & paucorum sententiam iussit ratam esse,vt auctor est Appolodorus in Rhytino. Vnde tractum est prouerbium: Isthæc rata esto,vt in lib.quæst. Grecarum refert Plutarchus. Et Seneca epist.29.Hoc præstat,inquit,Philosophia,vt æstimes iudicia,non numeres. Est enim iudicandum secundum scientiam,nõ multitudinem quicquid indicari debet, vt inquit Plato,quem refert Stobæus in ser. de Magistratu. Vnde recte quidem dixit Bal.in proæm.Feud.nu.1.post Celsum in l.sed non vltro.§.1.ff.de neg.gest. Deridendum est quod ratione non fundatur. Est autem prudentum ingenuorum, ac illustrium virorum, ne rebus semel acceptis seruiliter inhærescant,vt ait Theodoritus de Curat.Grecárum affect. Et Socrates Critoni: Ego autem non modo nunc,sed semper talis esse cupio,vt nulli quidem meorum magis parẽdum, quàm rationi existimem. Et D.Aug.epist.19.& in lib.2.c.3. de Baptis.contra Donat.solis libris canonicis hunc honorem desert, vt absque delectu legantur; quibus nulla inesse falsitas potest. Quibus accedat Medina in 1.2. D. Tho. q.19. art.6. vers. Cæterum,vbi ita inquit: Opinio nõ dicitur probabilis, ex eo quòd in eius fanorem adducantur rationes apparentes: & quòd habeat assertores, & defensores: nam isto pacto

erro-

errores essent opiniones probabiles. Sed ea opinio probabilis est, quam affirmant viri sapientes, & confirmant optima argumēta; quæ sequi nihil improbabile est, ita definit Arist. 1. Topic. c. 1. & 2. Ethic. c. 4. Huius autem rei (inuolutæ quidem indoctis: eruditis verò manifestæ) notitia aperiēda est magis ex iis quæ dicit Caiet. in sua Sūmula in ver. Opinione vti, vbi docte, & signanter inquit: Nō enim aliquid opinione tenetur, quia diuersi Doctores contraria sentiunt: quoniā cum huiusmodi contrarietate stat, quòd vna pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudine fulta: & iam non est opinio apud capientes rationem: sed quia nesciūt multi discernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodāmodo locant sub opinione. ita Caiet. Neque Platonem in Gorgia præteribimus, vbi ita inquit: Nihil tam perniciosum hominibus arbitror, quàm opinionem falsā, præsertim circa iustū & iniustū. Diuiditur enim opinio in verā, & falsam, secundnm Arist. 6. Ethic. c. 9. & in calce. 1. Poster.

Pro cuius rei exacta notitia sciendum est (Eia Age nūc, refer animum, sis ad veritatem, & considera heus homo, qui Iurisprudentiæ nauas operam, neque Repertoriis, vti Abecedarius, & Leguleius addictus es) quòd Prudentia, quæ res eadem habitusque vnus est, cum ciuili scientia; est recta ratio rerum agibilium, vt diximus in §. præcedenti num. 45, & 46. Per rectam autem rationem, in definitione Prudentiæ positam, significatur, Prudentiam ad mentem pertinere.
† Et pertinet quidem Prudentia ad eam Mētis partem, quæ 50
Rationatrix seu Cogitatio dicitur. † Ad quam Cogitatio- 51
nem pertingit, & spectat opinio. † Est autem Cogitatio ha 52
bitus, quo de singulis valemus probabiliter argumētari; qui quidem opinionē parit: & contra distinguitur a ceteris habitibus, de quorum ratione est rectum. Ad hunc vero habitum ratiocinatio tanquam via, & Opinio tāquam terminus pertinet, vt habetur per Arist. in fine 2. Poster. & declarat doctissimus Franciscus Piccol. in lib. de Philosophia Morali Gra. 5. c. 3. Aristot. namque in prædicto loco enumerat Ratiocinationem pro specie habituum, qui non semper sunt ve
ri, & qui a semper veris contradistincti sunt. † Habitus nā- 53
que rationalis animæ, quibus verum enunciamus, nonnulli sunt semper veri, vt Scientia, & Mens: alij suscipiunt falsū, vt opinio, & Ratiociuatio. Id quod verū esse apparet ex his

quæ

quæ tradit Arist. in 1. Ethic. cap. 6. vbi ratiocinandi facultas in his versari affirmat, quæ aliter se habere possunt. Quòd autem Cogitatio includat ratiocinationem affirmat Arist. in 6. Ethic. cap. 9. quando inquit: Pertinet itaque Consultatio ad Cogitationem: Consultatio autem est ratiocinatio quędam, per quam inferentes aliquid enunciare dicimur.
54 † Quæ quidem facultas Rationatrix, ad quam pertinere diximus opinionem, versatur in principiis communibus, varietati obnoxiis, vel in re non necessaria, vt elicitur ex 6.
55 Ethic. cap. 1. † Differt itaque Opinio a Scientia primò per materiem, nam in re mutabili & variabili locum præsertim habet Opinio. dictum est præsertim, quoniam non omnis cognitio rei mutabilis Opinio est, dum enim videmus Caium ambulantem, ea non opinio, sed clarus & certus sensus est: & dum non differt per materiem, differt per medium:
56 † De eadem namque re potest vnus per causam habere sciẽtiam: alter verò per accidentia & principia probabilia Opi-
57 nionem. † Ideo Demonstratio Scientiam, Syllogismus To-
58 picus Opinionem parit. † Opinio igitur est extimatio siue assensio de eo quod potest secus se habere, vel ratione rei, vel ratione medij, per quod ei assentitur, pertinens ad eam
59 animi facultatem, quæ Ratiocinatrix nuncupatur. † Cum igitur constat ex Aristotele, quòd opinio non semper recta
60 nec prædita necessitate sit, † hinc diuiditur Opinio in ve-
61 ram, & falsam. † Prudentia autem solam partem veram &
62 rectam sibi asciscit. † Cum enim Virtus sit perfectio eius, cuius est virtus; perficere id solùm vere dicitur, de cuius ratione est rectum & verum. Idcirco Arist. in 6. Ethic. cap. 9.
63 inquit: † Opinionis quod rectum est, appellatur veritas. Et in hac significatione Aristoteles in proœmio Ethicorum, Ciuilem disciplinam, quæ est eadem cum Prudentia, nuncupauit Scientiam late, hoc est, pro habitu recto, contradistincto
64 a cognitione sensuum, & habitu non recto. † Scientiæ etenim nomen vsurpatur proprie pro omni habitu acquisito per demonstrationem, contradistincto ab habitu ad actionem, vel effectionem directo. secundum quam propriã scientiæ acceptionem Arist. in 6. Ethic. cap. 8. dixit ex professo,
65 † Prudentiam non esse Scientiam, † quia versatur in rebus
66 singularibus, quarum non est scientia, sed sensus. Et est ani-
67 maduertendum, † quòd Rationis, & Mentis virtutes dicun-

tur,

tur,non quia in Mente,& Ratione, vt in subiecto sint posita,sed quia officium Rationis, & Mentis est eis vti, & ex eis communes notiones ad libitum elicere: & per eas speculari, quę ad operationem dirigere. † Mens enim cum sit res diuina,ex se sufficiens, vt fungatur munere suo, non eget forma aliqua & accidente mutabili, per quod intrinsecus perficiatur: solus homo eget requie perturbationum, & recta compositione Phantasiæ, vt speculari valeat,vt dicitur in 7. Physic. † Sed neque defuerunt complures auctores, vt ad iustam causam, quam in Principe requiri diximus, reuertamur; qui in hac eadem opinione fuerunt,vt scilicet iusta causa in Principe non pręsumatur, relati per Craue. in præcitato loco de Antiq. Temp. & latissime Ant. Gabri. in præd. conclus 3.de Iur.quæs.num.1.quibus addo clariss.Sylue.Aldobran.tot pręclariss. filiorum parentem in addit.ad Dec.in cap. quę in ecclesiarum num. 9. de constitut. late Pòstill. ad Alex.in cons.2.nu.20.lib.1.Vrsil.ad Afflict.decis.14. nu.11. vbi adducit Tiraq. de Retra. Ligna. §.1. glo.14. num.49. & per Andre.Gail in lib. 2. Pract. Obser. cap. 58. Nec minus classici (iuxta tradita a Mart. Nauar. in præal. suo Manua. & per Alcia.de Præsum.reg.1.præs.51. num.3.& 4. ac etiam per Ant.Gab.tit.de Testib.conclus.4. num.86.) qui rē hanc ex professo pertractant, prout Bal. Ab. Felin. & Dec. in d. cap. quæ in ecclesiarum,Ias.in d.l.si testamentum,& in l.quominus.ff.de flumi.Fulgos.in l. fin.C.si cont. ius vel vtil. pub. Aret.Socin.& Garzi.in l.Gallus.§.& quid si tantum.ff.de lib. & posthu.Alcia.reg.3.præs.8.Craue. de Antiq. Tēp. in prin. & Mart.Nauar.in comment.can.non liceat 12.q. 2. num.8. & in commēt.in rubr.de Iudiciis num. 90. Quinimo quamplures affirmant,hanc eandem opinionem communem esse prout Ab.in d.c.quæ in ecclesiarum; quem refert, & optime comprobat Rolan.in cons.35.num.15.lib.4. Claud. de Seysel.in l.vt vim num.13.ff de iust.& iur. Et communiorem dicit Alcia.de Præs.8.num.4. quem approbat Soarez in Thesa. Recep. senten. l.c. num. 31. & magis communem asseuerat quoque Craue.vbi supra num.32.quem sequitur Thobi. Noni.in cons.89.num.24. Ab omnibus autem approbatam ait Menochi.de Rucuper.Poss.in 8. Remed.num.63. Et in Camera Imperiali receptam esse attestatur Andre. Gail in d. Obser.58.num.1. vnde non videtur vlterius dubitandum,

prout

prout de auctoritate Rotę dixit Crauę.in conſ.17.ſub nu. 5. & communiorem dicit etiam Paris. in conſ.101.nu.7.lib.1.
73 cum aliis de quibus per Burſat.in conſ.188.num.38.lib.2.& per Seraphi. in tract. dę Priuileg. Iuram. priuil. 40. num.3. † Etiam quando Princeps allegauit iuſtam & legitimam cauſam, Menochi. de Præſumpti. lib.2.præſ.10.num.64.

SVMMARIVM.

1 *Augusta legibus soluta non est.*
2 *Princeps eadem Augustæ priuilegia tribuit, quæ & ipse habet.*
3 *Vxores splendent honore Mariti.*

§. NONVS.

1 QVid autem dicemus in Augusta, hoc eſt, in Vxore Principis; † Et eam legibus ſolutam non eſſe, ſed
2 vt reliquum hominũ genus obſtringi verius eſt, d.l. Princeps, & l.1.C. de conduct. & procur. præd. dom. Aug.lib.11. † Plane licet Auguſta legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quę
3 & ipſe habet, d.l. Princeps, & l. fiſcus. §. fin.ff.de iur. fiſci. & eſt ratio, † quia ſplendent honore mariti vxores. l. fœminæ ff.de Senat.l.vxores.C.de dignit.lib.12. Ita recte quidem, & eleganter inquit Corras. in lib. 2. Miſcell. cap.25. cui vltimo loco adde Tiraq. de Nobilit.cap.18. vbique.

LAVS DEO.

INDEX.

A.

Com-

INDEX.

G.

H.

I.

M.

N.

O.

P.

R.

INDEX.

FINIS.

Ego Petrus paulus Bonsius I. V. D. Canonicus Florentinus, perlegi totum hoc opus, nihilque inueni, quòd sanæ, ac Catholicæ fidei aduersum sit. Florentiæ die 15. Decembris. 1606.

Concedimus licentiam imprimendi hunc tractatum ad l. Princeps .ff. de legib. accedente consensu R. P. Inquisitoris. Die 15. Ianuarij. 1606.

Cosmus Antellensis Vicarius Gen. Florentiæ.

F. Lelius Placentinus Inquisitor.

Imprimatur Florentiæ, Paulus. Vinta primus Auditor & Secretarius S. Celsit.